KONGL. SVENSKA VETENSKAPS-AKADEMIENS HANDLINGAR. Bandet 24. N:o 2.

SPINDLAR

FRÅN

NIKOBARERNA OCH ANDRA DELAR AF SÖDRA ASIEN

TILL STÖRRE DELEN INSAMLADE

UNDER

K. DANSKA KORVETTEN GALATHEAS RESA OMKRING JORDEN

ÅREN

1845—1847.

AF

T. THORELL.

TILL KONGL. VETENSKAPS-AKADEMIEN INLEMNAD DEN 11 JUNI 1890.

STOCKHOLM, 1891.
KONGL. BOKTRYCKERIET. P. A. NORSTEDT & SÖNER.

Följande blad innehålla en förteckning å ett antal spindlar från Nikobarerna och åtskilliga andra sydasiatiska, isynnerhet indo-malajiska, lokaliteter, hvilka blifvit mig till bestämning meddelade af Prof. D:r F. Meinert och D:r W. Sörensen i Köpenhamn. Dessa spindlar tillhöra till största delen Zoologiska Museet i nämnde stad, till en del Entomologiska Föreningen dersammastädes; jemte dem ha åtskilliga arter från Pinang och Singapore, insamlade af Hr. Th.s Workman i Belfast, blifvit upptagna i denna förteckning.

Den betydligaste och intressantaste delen af dessa samlingar utgöres af de arter, som förskrifva sig från *Nikobarerna*,[1] och hvilka alla, jemte många af de öfriga, blifvit insamlade under kongl. danska korvetten Galatheas resa omkring jorden åren 1845—47 af denna expeditions entomolog, Hr Kjellerup (numera Öfverlärare i Sorö), och väl till någon del också af expeditionens öfrige zoologer, Hrr Professorer Behn och Reinhardt.[2]

I arachnologiskt hänseende äro Nikobarerna ännu så godt som en terra incognita. Att en *skorpion*-art finnes på öarne, nämner Bille i sin »Beretning».[3] Hvad *spindlarne* beträffar, så har visserligen G. Böck[4] anfört namn på några (12) arter derifrån, insamlade under österrikiska fregatten Novaras verldsomsegling; men denne författares bestämningar äro tydligen till allra största delen oriktiga, och hans arbete är derföre nära nog utan allt värde. De arter från Nikobarerna, som han anför, äro:

»*Clubiona nutrix* Wlk.», Nanchovry;

»*Calliethera scenica* Kch.», Sambelong;

---

[1] Denna ögrupp bildar, som bekant, i förening med de norr om densamma belägna Andamanerna en föreningskedja mellan Sumatra och sydvestspetsen af Burmah, Cap Negrais; den utgöres egentligen af två ögrupper, en nordlig och en sydlig, åtskilda af ett sund kalladt Sombrero-kanalen. De förnämsta öarne af den *nordliga* gruppen äro, från norr räknadt, *Kar Nikobar*, *Chovry*, *Terressa* och Katschell, hvilka bilda en rad i syd-sydostlig riktning, samt *Nanchovry* öster om Katschell, och *Kamorta* norr om Nanchovry och skild från denna endast af ett smalt sund, samt slutligen Tillangschong, rätt norrut från Kamorta. Den *södra* gruppen utgöres hufvudsakligen af två öar, *Lilla Nikobar* och *Stora Nikobar* eller *Sambelong* (den största af alla öarne), hvilka bilda en fortsättning af den ofvannämnda, i sydostlig riktning gående ökedjan och åtskiljas af S:t Georgs-kanalen. *Pulo Milu* är en holme nära invid och vester om det rätt norrut utskjutande nordöstra hörnet af Lilla Nikobar.

[2] Jfr. Beretning om Corvetten Galatheas Reise omkring Jorden 1845, 46 og 47. Ved Steen Bille, Chef for Expeditionen. I. Kiöbenhavn 1849. — De arter, som äro insamlade under denna expedition, äro i min förteckning märkta med »(G)» efter lokaliteten.

[3] Op. cit., I, p. 464: »Den eneste Skorpionart, som lever på Öerne, er meget lidet frygtet».

[4] Vorläufige Uebersicht der während der Reise der K. K. Fregatte Novara von den Herren Naturforschern gesammelten Spinnen (Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XI (1861), pp. 387 och följ.

»*Olios longipes* Wlk.»., Nikobarerna;
» *leucojus* Wlk.», Nikobarerna;
»*Thomisus diadema* Wlk.», Sambelong;
»*Tetragnatha oblonga* Wlk.» [?], Kar Nikobar;
»*Epeira citricola* Wlk.», Kar Nikobar;
»*Miranda pictilis* Kch.», Nikobarerna;
»*Singa conica* Kch.», Pulo Milu;
»*Steatoda albomaculata* Sund.», Nikobarerna;
»*Latrodectus conglobatus* Wlk.», Kar Nikobar;
»*Pholcus phalangioides* Wlk.», Nikobarerna.
(Dessutom obestämda arter af slägtena *Lycosa*, *Attus*, *Gasteracantha* och *Epeira*.)

Med *Olios leucojus* menar Böck sannolikt *Heteropoda venatoria* (Linn.), och med *Miranda pictilis* förmodligen *Epeira Théisii*, Walck., *Pholcus phalangioides* (Fuessl.) Walck., förekommer *kanske* på öarne,[1] möjligen också *Epeira citricola* (Forsk.) och *Tychius* (*Olios*) *longipes* (Walck.), men knappast någon af de öfriga af Böck uppräknade arterna.

De arter, som Galatheas zoologer insamlat på Nikobarerna, äro följande:
Selenocosmia Javanensis, Walck., Lilla Nikobar;
Ischnocolus sub-armatus, n., Nanchovry;
Filistata insularis, n., Kar Nikobar;
Poecilochroa Behnii, n., Nanchovry;
Pranopis punctata, n., Nanchovry;
Corinnomma comulatum, n., Stora Nikobar (Sambelong);
Tolophus sub-maculatus, n., Kar Nikobar;
Eutittha conspersa, n., Pulo Milu;
» *incompta*, n., Lilla Nikobar;
Tegenaria Derhamii (Scop.), Nanchovry;
Fecenia protensa, n., Nanchovry;
Dictis fumida, n., Kar Nikobar;
Argyrodes fissifrons, Cambr., *var.*, Terressa;
Uloborus modestus, n., Nanchovry;
Miagrammopes albo-maculatus, n., Lilla Nikobar;
Tetragnatha minatoria, Sim., Nanchovry, Kamorta, Lilla Nikobar, Stora Nikobar;
» *delumbis*, n., Lilla Nikobar;
» *parvula*, n., Kamorta;
Callinethis Nicobarica, n., Lilla Nikobar;
» *tristicta*, n., Nanchovry;

---

[1] I v. Frauenfeld, Zoologische Miscellen. XI. Das Insektenleben zur See (Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XVII (1867), p. 434 (10) anföres i kolumnen »Nikobar, Singapur» såväl denna art eller »*Ph. nemastomoides* C. L. Koch» som en ny *Theridium*, *Th. piligerum*, af hvilken v. Frauenfeld p. 462 (38) ger en kort beskrifning; men han säger om båda, att han funnit dem *ombord på fartyget* (Novara), *Ph. nemastomoides* under färden från Rio Janeiro till Kap, *Th. piligerum* »zuerst bei den Nikobaren, dann wiederholt öfter in den unteren Schiffsräumen und Gebälke». (Der fann han ock en annan *Theridium* sp., som ej beskrifves). Det är således ganska ovisst, om någon af dessa spindlar verkligen tillhör Nikobarernas fauna.

Argyroepeira ventralis (Thor.), Nanchovry, Lilla Nikobar, Pulo Milu;
» *striata* (Thor.), Nanchovry;
Larinia melanosticta, n., Chovry;
Nephila maculata (Fabr.), Chovry, Terressa, Nanchovry, Lilla Nikobar;
Argiope catenulata (Dol.), Terressa, Kamorta;
» *aemula* (Walck.), Nanchovry;
» *macrochoera*, n., Lilla Nikobar, Stora Nikobar;
Euetria Moluccensis (Dol.), Kar Nikobar, Terressa, Lilla Nikobar;
Epeira punctigera (Dol.), Kar Nikobar, Nanchovry;
» *Théisii*, Walck., Terressa, Nanchovry, Kamorta;
» *centrodes*, Thor., Nanchovry;
Poltys pogonias, n., Lilla Nikobar;
Cyrtarachne invenusta, n., Lilla Nikobar;
Gasteracantha leucomelaena (Dol.), Lilla Nikobar;
» *brevispina* (Dol.), Kar Nikobar, Terressa, Kamorta, Lilla Nikobar;
Dolopoeus cinctus, n., Kamorta;
Dendrolycosa gracilis, n., Kamorta;
Lycosa thalassia, n., Nanchovry;
» *Nicobarica*, n., Kar Nikobar, Terressa, Nanchovry, Pulo Milu;
Oxyopes Javanus, Thor., Terressa, Nanchovry;
» *longinquus*, Thor., Terressa, Nanchovry, Lilla Nikobar;
Tapponia insulana, n., Kamorta;
Spariolenus megalopis, n., Lilla Nikobar;
Heteropoda venatoria (Linn.), Chovry;
Seramba bifasciata, n., Stora Nikobar;
Runcinia disticta, Thor., Nanchovry, Kamorta;
Daradius armillatus, n., Chovry;
Homalattus albo-striatus, n., Terressa;
Chrysilla Reinhardtii, n., Lilla Nikobar;
Telamonia Peckhamii, n., Terressa, Nanchovry, Kamorta, Stora Nikobar;
Hasarius Kjellerupii, n., Lilla Nikobar;
» *Simonis*, Thor., Kar Nikobar, Kamorta, Stora Nikobar.

Således 52 arter (2 Territelarier, 1 Cavitelarie, 8 Tubitelarier, 22 Orbitelarier, 5 Laterigrader, 7 Citigrader och 5 Saltigrader), af hvilka 32 synas vara nya. De öfriga äro, såsom man kunnat vänta sig, nästan alla gemensamma för Nikobarerna och Indo-Malesien, särskildt Sumatra, och hafva med få undantag en mycket vidsträckt geografisk utbredning. Den enda *europeiska* art, som af Galatheas zoologer blifvit funnen på Nikobarerna, är den nära nog kosmopolitiska *Tegenaria Derhamii* (Scop.), som likvisst hittills icke blifvit observerad i Malesien.

Af stort intresse äro också de spindlar, som blifvit mig meddelade af Entomologiska Föreningen i Köpenhamn, och som insamlats på *Sumatra* af D:r P. A. Klein, dels vid *Padang* och *Kaju tanam* i Residentskapet Nedre Padang (»Padangsche Beneden-landen») på öns vestkust, dels vid *Tjadé* i Residentskapet Atjeh (Atschin), samt i Under-resident-

skapet *Edi* (och vid »*Sipoholon*»).[1] Såsom ej förut funna på Sumatra må här nämnas följande 13 arter:

Gasteracantha cuspidata, C. L. Koch, Edi;
Phrynarachne papulata, n., Tjadé;
» *Ceylonica* (Cambr.), Tjadé;
Runcinia Kinbergii Thor., Tjadé;
Harmochirus Malaccensis, Sim., Kaju tanam, Sipoholon;
Homalattus analis, Thor., Tjadé;
» *brevipes*, n., Edi;
Dexippus Kleinii, n., Tjadé;
Chrysilla versicolor (C. L. Koch), Padang;
Tapinattus brachygnathus, Thor., Tjadé;
Spartaeus gracilis, n., Padang;
Hasarius sulfuratus, n., Kaju tanam;
» *Adansonii* (Aud. in Sav.), Tjadé.

Jemte de (5) för vetenskapen nya bland dessa 13 arter äro *Phrynarachne Ceylonica* och *Homalattus analis* nya för Indo-Malesien. — Af andra indo-malajiska spindlar, som upptagas i denna förteckning, och som till största delen blifvit insamlade af Hr Workman, må, såsom för de uppgifna lokalerna nya, här anföras:

Omothymus Schioedtei, n., Pinang;
Damarchus Workmanii, n., Singapore;
Dictis fumida, n., Singapore;
Plectana Hasseltii (C. L. Koch), Pinang;
Gasteracantha fornicata (Fabr.), Pinang;
» *diadesmia*, Thor., Pinang;
» *Doriae*, Sim., Singapore;
» *leucomelaena* (Dol.), Pinang;
» *brevispina* (Dol.), Singapore;
Oxyopes lineatipes (C. L. Koch), Pinang;
» *gemellus*, n., Pinang;
Sarotes Pinangensis, n., Pinang;
Pharta bimaculata, n., Singapore;
Mastira bipunctata, n., Singapore;
Peltorhynchus rostratus, Thor., Pinang;
Loxobates ornatus, n., Pinang;
Orus virens, n., Singapore;
Boliscus segnis, n., Singapore;
Homalattus latidens (Dol.), Pinang;
Chysilla debilis, Thor., Pinang;

[1] Det gamla Sultanatet Atjeh, nu mera till en del ockuperadt af Holländarne, sträcker sig från Sumatras nordspets söderut ända till de s. k. Battaks-länderna i mellersta Sumatra. Här, vid gränsen af Atjeh, på östra kusten af ön, befinner sig Under-residentskapet (»Adsistent-Residentie») *Edi*, sorterande under Residentskapet Atjeh. Sipoholon är förmodligen en by i detta Under-residentskap.

Chrysilla versicolor (C. L. Koch), Pinang, Singapore;
Epocilla praetextata, Thor., Pinang;
Maevia luteo-cincta, n., Pinang;
Megatimus severus, n., Pinang;
Colyttus bilineatus, n., Pinang;
Plexippus culicivorus (Dol.), Singapore;
Euophrys pygaea, n., Pinang;
Mantius russatus, n., Pinang;
Carrhotus viduus (C. L. Koch), Pinang;
Hasarius virens, n., Pinang.

Af dessa 30 arter äro endast de (16) för vetenskapen nya också nya för Indo-Malesien.

Från *Filippinerna* förskrifva sig:
Thyene imperialis (W. Rossi), Manila;
Homalattus leucomelas, n., Manila;

Nya för *Indien* äro:
Dictis fumida, n., Assam;
Sarotes tener, n., Assam;
Zeuxippus histrio, n., Vellore (Guvern. Madras).

Dessutom må nämnas, att den Köpenhamns Museum tillhöriga samlingen innehöll två arter från Matufi i Nya Britannien, nämligen de välbekanta *Euetria Moluccensis* (Dol.) och *Heteropoda venatoria* (Linn.), äfvensom ett exemplar af *Idioctis helva*, L. Koch, från Samoa-öarne, samt slutligen en sydamerikansk spindel, *Epeira Galatheae*, n., från Cobija (hufvudstaden i provinsen Atacama, Bolivia).

Antalet sydasiatiska arter, som sändningen från Köpenhamns Zoologiska Museum visat sig innehålla, belöper sig till 66, oberäknadt några få, som ej voro i det tillstånd, att de kunnat med säkerhet bestämmas eller beskrifvas. Af de talrika, till en del högst märkvärdiga spindlar, som Hr Workman meddelat mig, ha blott en del (24 arter), nästan uteslutande tillhörande afdelningarne Saltigradae och Laterigradae, här blifvit anförda. Den af Entomologiska Föreningen i Köpenhamn skickade samlingen utgöres af 23 arter. — Hela antalet sydasiatiska arter, som i denna förteckning uppräknas, uppgår till 102 (5 Territelarier, 1 Cavitelarie, 8 Tubitelarier, 2 Retitelarier, 28 Orbitelarier, 10 Citigrader, 16 Laterigrader, och 32 Saltigrader), af hvilka 56 torde vara för vetenskapen nya.[1] Af alla dessa, och äfven af några andra, mindre väl bekanta arter har jag bifogat mer eller mindre utförliga beskrifningar. Deremot har jag i allmänhet ej ansett nödigt att lemna fullständig synonymi för de redan bekanta formerna, utan får i det hänseendet hänvisa till mina arbeten: »Studi sui Ragni Malesi e Papuani» och »Primo Saggio sui Ragni Birmani».

Det är mig en kär pligt att till Professor Meinert och D:r Sörensen samt till Hr Workman framföra min vördsamma och hjertliga tacksägelse för det tillfälle, de förskaffat mig, att studera dessa i så hög grad intressanta samlingar.

Sori (Italien), 1 Maj 1890.

[1] Till dessa har jag icke räknat ett antal förut ej bekantgjorda, här endast med en diagnos karakteriserade och med »Thor.» efter namnet betecknade arter, hvilka jag beskrifvit i den för flera år sedan afslutade, men ännu ej utkomna Vol. II af mina Studi sui Ragni Malesi e Papuani, Parte IV: Ragni dell' Indo-Malesia etc.

I. TETRAPNEUMONES.

Cel. Marx[1] nuper araneam notabilissimam descripsit et depinxit, quam *Hypochilum Thorellii* nuncupavit, typum novae familiae *Hypochiloidarum* eam faciens; quae aranea, quamquam notis plerisque cum araneis nonnullis *Dipneumonibus*, praesertim cum *Filistatoidis*, convenire videtur,[2] nihilominus, quum *quattuor* »saccis pulmonalibus» praedita sit, ad *Tetrapneumones* referri debet. Sed *Hypochilus* etiam quoad organa respirationis a Tetrapneumonibus typicis, i. e. a. *Territelariis*, non parum differt, et quidem in eo, quod spiracula duo posteriora non ut in iis detecta et facillima visu habet, sed in plicatura transversa (fere in medio ventris sita) locata, et ab hac plicatura obtecta;[3] praeterea cribello et calamistro praeditum est hoc genus, quibus organis carent Territelariae. Secundum Marx[4] etiam *Filistata*, ut *Hypochilus*, quattuor spiraculis munita est, quorum posteriora, ut in hoc genere, in plicatura transversa ventris locum tenent, attamen non in suum quodque saccum pulmonalem transeuntia, sed, ut videtur, in tracheam tubularem brevem continuata. Quae quum ita sint, momentum systematicum primarium numeri saccorum pulmonalium (ut spiraculorum!) in dubium vocari sane potest: saltem nimis arteficiosae jam denuo[5] mihi videntur Partes illae »Tetrapneumones» et »Dipneumones», quam ut »Subordines» vocari possint. — Quum *Hypochiloidae* Territelariis adscribi nequeant, novam Tribum *Umbellitelarias* ad eas recipiendas recte creavit Cel. Marx;[6] sed tum in Parte *Dipneumonum* duae novae Tribus, pro *Filistatoidis* et *Dysderoidis*, creandae certe sunt, quarum alteram (Filistatoidarum) *Cavitelarias*, alteram (Dysderoidarum) *Pseudoterritelarias* vocare possumus. Filistatoidae et Dysderoidae enim a reliquis Dipneumonibus nota non multo minoris ponderis (spiraculis *quattuor*, posterioribus eorum in illis obtectis, in his detectis), differunt, quam

[1] On a new and interesting Spider, *in* Entomologica Americana, IV (1888), p. 160, figg. 1—13; — On a new and interesting Spider from the United States, *in* Proceed. of the Entom. Soc. of Washington, I (1889), p. 166; — On the importance of the structural Characters of Hypochilus in the Classification of Spiders, *ibid.*, p. 178.

[2] *Scytodoidis* et *Pholcoidis* multo minus quam *Filistatoidis* affinis mihi videtur *Hypochilus*, etiam magis tamen a *Dinopoidis* differens, cum quibus (et cum *Filistatoidis*) Cel. Simon eum quam maxime convenire credidit: Vid. Simon, Quelques Observations sur les Arachnides (suite), *in* Bull. de la Soc. Ent. de France, 1888, p. CCVIII, ubi novam generis *Hypochili* speciem, *H. Davidis* (ex China), describit.

[3] Cel. Bertkau *Hypochilum*, ut *Filistatam*, ad *Tristicta* sua refert, ni fallor quia plicaturam illam ventris in generibus illis parti coalitae trachearum duarum tubularium in araneis tristictis, sive harum trachearum orificio communi, respondere censet. Conf. Bertkau, Ueber ein Begattungszeichen bei den Spinnen, *in* Zool. Anzeiger, № 315 (2 Sept. 1889), p. 452, notam.

[4] On the importance, *cet.*, loc. cit.; conf. Insect Life, I, № 12 (1889), p. 388.

[5] Vid. Thorell, On European Spiders, p. 152; — conf. Thor., On Dr. Bertkau's Classification of the Order Araneae, or Spiders, *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., 5 Ser., XVII (1886), p. 311.

[6] Catal. of the described Aran. of temperate North America, *in* Proceed. of the U. S. National Museum, XII (1889), p. 497. — De forma singulari *retis*, quod construit *Hypochilus*, vid. Marx, loc. supra cit.

quibus a reliquis araneis tetrastictis, i.e. ab *Hypochiloidis* et a Territelariis, sunt remotæ. — *Liphistius* ut typus propriæ Tribus, quam *Verticulatas* appello,[1] segregandus mihi videtur quoque.[2]

Tetrapneumones nunc viventes igitur hoc modo distribuere vellem:

I. Spiracula omnia quattuor libera, detecta. Mandibulæ basi inter se unitæ, ungui retro directo. Cribellum et calamistrum desunt.
   1. Mamillæ 8 (4 veræ, 4 spuriæ), longe ante apicem posticum ventris locatæ. Dorsum abdominis scutis transversis durioribus tectum . . . Trib. I. **Verticulatae** (Fam. *Liphistioidæ*).
   2. Mamillæ 4 vel 6, in apice vel versus apicem ventris sitæ; dorsum ejus saltem ad maximam partem cute molli tectum . . . . . Trib. II. **Territelariæ.**

II. Spiracula duo posteriora in plicatura ventris transversa locata. Cribellum et calamistrum adsunt. Mandibulæ liberæ, ungui mediocri, intus vel oblique retro et intus directo. (Labium pone maxillas positum) . . . Trib. III. **Umbellitelariæ** (Fam. *Hypochiloidæ*).

Dipneumonum Tribus hæ essent: I (IV). *Cavitelariæ* (Fam. *Filistatoidae*) — quae, si ut Pseudoterritelariæ (Fam. *Dysderoidæ*), »tetrastictæ» sunt, ab iis spiraculis posterioribus non liberis sed in plicatura ventris absconditis differunt, et, præter saccis pulmonalibus modo duobus, his notis conjunctis partim a Territelariis, partim ab Umbellitelariis distingui possunt: cribellum et calamistrum adsunt, mandibulæ basi coalitæ sunt, ungui minuto intus directo præditæ, labium maxillis includitur[3]; — II (V). *Pseudoterritelariæ*; III (VI). *Tubitelariæ*; IV (VII). *Retitelariæ*; V (VIII). *Orbitelariæ*; VI (IX). *Citigradæ*; VII (X). *Laterigradæ*;[4] VIII (XI). *Saltigradæ*. — Secundum Cel. BERTKAU (in litteris) gen. *Nops*, MACLEAY, saccis pulmonalibus caret: Partem Majorem propriam (*Apneumones*) — sed certe non Subordinem — hoc genus igitur formare posset!

---

[1] Hujus Tribus videntur non tantum *Protolycosa anthracophila*, F. RŒMER, et *Palæaranea* (*Palaranea*) *borassifolia*, FRIČ, verum etiam *Arthrolycosa antiqua*, HARGER: Conf. BEECHER, Note on the fossil Spider Arthrolycosa antiqua, HARGER, in American Journal of Science and Arts, XXXVIII (1889), p. 119; in hoc opusculo Cel. BEECHER ostendit, animal illud non Meridogastris (Anthracomartis), sed verisimiliter Araneis Tetrapneumonibus esse adscribendum. — Etiam reliqua genera pleraque fam. Arthrolycosoidarum (*Eolycosa*, KUŠTA, *Geralycosa*, id., *Rakovnicia*, id.), quæ »Anthracomartis» adscribit Cel. KUŠTA (vid. e. gr. ejus O nových Arachnidech z karbonu Rakovnického, *in* Věstník k. České Společnosti náuk, *cet.* [Sitzungsber. d. k. böhm. Gesellsch. d. Wissensch., mathem.-naturwissensch. Classe], 1888, pp. 194 et sequ.), Ordinis Aranearum (et Tribus Verticulatarum?) nobis videntur; *Scudderia*, KUŠTA, aranea forsitan est, sed certe non hujus Tribus.

[2] Conf. THORELL, Studi sui Ragni Malesi e Papuani. IV: Ragni dell' Indo-malesia, I, *in* Annali del Museo Civico di Storia Naturale di Genova, Ser. 2, VIII, p. 29.

[3] *Filistatoidæ* mihi quidem *Territelariis* quam maxime affines videntur, præterea ad *Hypochiloidas* prope accedentes, et nescio an affinitate quadam cum *Scytodoidis* quoque, quam familiam infimam *Retitelariarum* judico, conjunctæ. (Gen. *Thomisoides*, NIC., plane eundem locum in Tribu Laterigradarum tenet, quam tenent *Scytodoidæ* in Tribu Retitelariarum). Scytodoidarum familiæ *Paculloidæ* sive *Phædimoidæ* (de quibus vid. THOR., Stud. *cet.*, IV, I, p. 304) valde affines sunt, eas cum *Dysderoidis* connectentes. *Pholcoidæ*, quas Tribum propriam, *Plagitelarias*, fecit Cel. DAHL, præter glandulis sericiparis discrepantibus vix nisi structura palporum maris a reliquis *Retitelariis* differunt; sed hujusmodi differentiam non ita magni esse momenti, alio loco (On Dr Bertkau's Classif. of the Order Araneæ, or Spiders, loc. cit., p. 320) monui. Spiracula modo duo, ut Pholcoidæ, etiam genus *Pedanostethus* habet; tarsi in articulos multos plus minus evidentes divisi sunt non tantum in Pholcoidis, verum etiam e. gr. in *Camptotarso* et in *Dendrolycosis* et *Storenis* quibusdam. In gen. *Pholco* pedes »unguicalis auxiliaribus» præditi sunt, quod præterea non nisi in Orbitelariis et Retitelariis vidi; *Ph. phalangioides* (et nescio an reliquæ hujus generis species) praedam eodem modo ac Orbitelariæ filis densissimis induit, eam celeriter inter pedes volvens.

[4] Laterigradas melius quam Citigradas prope Saltigradas collocandas esse, jam cum Cel. McCOOK (American Spiders and their Spinningwork I, p. 17), persuasum mihi habeo, præsertim quum fam. *Misumenoidarum* sola sit, quæ cum Saltigradis affinitatem quandam certam ostendat.

Trib. **Territelariæ.**

Fam. **Theraphosoidæ.**

Gen. **Selenocosmia,** Auss., 1871.

1. ***S. Javanensis*** (Walck).

Syn.: 1837. *Mygale Javanensis*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., I, p. 216.
1839. » *monstrosa*, C. L. Koch, Die Arachn., V. p. 14, Tab. CXLVII, fig. 346.

Feminam adultam maximæ et nobilissimæ hujus speciei, quæ etiam in Java, Sumatra et Celebes vitam degit, in ins. Nicobare Minore (G.) captam mecum communicavit Museum Zoologicum Havniense. In hoc exemplo, ut etiam in exemplo uno alterove thesauri mei, quod Javanum credo, metatarsi 1^{i} paris aculeo in apice carent. Metatarsi insequentes plerumque 3 aculeos in apice, subter, habent. Metatarsi 3^{ii} et 4^{i} parium præterea aculeum prope apicem *supra*, magis intus, in specimine Nicobarico ostendunt (ita interdum etiam in aliis exemplis). Tibia 4^{i} paris $3^{3}/_{4}$—4:plo longior quam latior in specimine illo est.

Gen. **Omothymus,**[1] n.

Cephalothorax sat humilis, paullo longior quam latior, parte cephalica vix elevata, dorso paene recto, fronte (saltem in ♂) angusta, fovea centrali sat parva sed profunda, transversa, recta.

Oculi conferti, tuberculo sat magno et alto impositi; aream occupant, quæ rectangula est et circa triplo latior quam longior. Series oculorum antica a fronte visa fortiter deorsum curvata est: linea recta basin mediorum anticorum tangens laterales anticos supra tangit, vix secat. Oculi medii antici rotundi reliquis oblongis majores sunt.

Labium sub-quadratum.

Pedes longi, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes, tibiis et metatarsis saltem plerisque apice aculeatis; scopula tarsorum densissima, indivisa, mediocri latitudine, apice truncata; unguiculi bini mutici (non dentati), ad maximam partem detecti (non pilis absconditi). Tibia cum patella 4^{i} paris brevior quam tibia cum patella 1^{i} paris. Metatarsus 4^{i} paris tibiam longitudine non multo superat. Apex tibiæ 1^{i} paris in ♂ in procursum crassum brevissimum obtusissimum, apice spinulis parvis densissimis vestitum, productus est.

Mamillæ 4, superiores longæ, tarsum 4^{i} paris longitudine circiter aequantes, articulis tribus æque fere longis.

Typus: *O. Schiœdtei*, n.

---

[1] ὠμόθυμος, crudelis.

Hoc genus *Pœcilotheriæ*, Sim. (*Scurriæ* [C. L. Koch] Auss.), affine est: differt pedibus paullo aculeatis, scopula etiam tarsorum 4i paris indivisa, unguiculis (detectis) non dentatis, et apice tibiæ 1i paris in maribus procursu spinuloso prædito.

2. ***O. Schiœdtei***, n., *abdomine supra pilis longis fortibus sub-erectis minus densis ferrugineis apice pallidis vestito: præterea pilis et setis cinerascentibus, luteis et ferrugineis tectus, pedibus supra cinereo-lineatis; 4i paris pedibus tarso suo brevioribus quam sunt pedes 1i paris, et pedes 2i paris longitudine parum superantibus; palpis longissimis, apice bulbi in procursum fortem deorsum curvatum, compressum, cultriformem fere, reliquo bulbo non longiorem producto. — ♂ ad. Long. circa 41 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* sat humilis est, dorso a declivitate postica usque ad tuberculum oculorum paene recto, parte cephalica igitur parum elevata; sub-orbiculatus est, paullo tamen longior quam latior, postice fortiter emarginatus, in lateribus antice et postice fortiter, in medio vero levius rotundatus, utrinque antice, supra maxillas, leviter sinuatus et tum brevi spatio anteriora versus sat fortiter angustatus, antice sub-truncatus et hic duplo angustior quam in medio, impressionibus cephalicis aliisque sex sulcis radiantibus distinctis. Fovea centralis transversa, recta (saltem non procurva) et sat profunda sed non magna est, dimidiam latitudinem tuberculi oculorum latitudine æquans, et circa duplo longius a margine frontali quam a medio marginis postici cephalothoracis remota. *Tuberculum oculorum*, spatio angustissimo a margine frontali remotum, pæne dimidio latius est quam longius, postice et præsertim in medio antice altum et præruptum, desuper visum antice angulato-rotundatum. Area *oculorum* desuper visa rectangula est, saltem triplo latior quam longior: series oculorum antica hoc modo visa modo leviter procurva est, a fronte visa vero adeo fortiter deorsum curvata, ut linea recta basin oculorum mediorum infra tangens laterales oculos supra modo tangat, non secet. Oculi magni dicendi; oculi medii antici rotundi reliquis oblongis multo majores sunt (diametro sua diametrum longiorem lateralium anticorum tamen non multo superantes); laterales postici lateralibus anticis non parum sunt minores, medii postici illis non parum minores, præsertim angustiores. Oculi laterales antici a margine frontali spatio distant, quod eorum diametrum longiorem saltem æquat; spatium, quo medii antici ab hoc margine distant, eorum diametro circa dimidio majus est. Oculi 4 anteriores spatiis pæne æqualibus, dimidiam oculi medii diametrum æquantibus, separati sunt; spatium inter medios anticos et laterales posticos spatia illa parum superat. Oculi laterales antici a lateralibus posticis (ut medii antici a mediis posticis) intervallo spatiis illis non parum, fere duplo, minore sunt sejuncti; medii postici a lateralibus posticis intervallo etiam multo minore separati sunt. Latitudo *sterni* $^7/_9$ longitudinis ejus æquat.

Mandibulæ formâ ordinariâ, satis debiles, pæne triplo longiores quam latiores; versus apicem subter, intus, seriem longitudinalem dentium 5 mediocrium ostendunt, qui ciliis longis et densis occultati sunt. *Maxillæ* paullo plus duplo longiores quam latiores, lateribus parallelis, vix granulosæ; *labium* sub-quadratum, versus apicem granulis parvis densis sparsum. *Palpi* longissimi: extensi ad medium tibiæ 1i paris pertinent. Pars tarsalis circa dimidio longior est quam latior, apice fortiter rotundata; bulbus, retro directus, parte tarsali paullulo longior est, quasi annulo vel patera obliqua nigra parti tarsali affixus, præterea piriformi-globosus, apice in procursum fortem, compressum, paullo deorsum

curvatum, breviter acuminatum (quasi cultriformem) productus, cujus margo inferior ad apicem ad longitudinem rotundatus est, margo vero superior hic rectus; qui procursus reliquum bulbi longitudine fere aequat, saltem non superat. *Pedes* longi: 1^{i} paris pedes cephalothorace 4$^{1}/_{2}$ longiores sunt, 4^{i} paris pedes longitudine non parum (circa longitudine tarsi 4^{i} paris) superantes; pedes 4^{i} paris contra pedibus 2^{i} paris parum longiores sunt. Metatarsi 4^{i} paris tibiâ paullo sunt longiores. Apex tibiæ 1^{i} paris intus in procursum brevissimum, crassum, apice late rotundato-truncatum et hic spinulis densissimis foras curvatis directisque vestitum productus est. Tibiæ 2^{i}—4^{i} parium apice subter binos aculeos parvos habent, tibiæ 1^{i} paris ibi, extus, aculeum singulum; metatarsi 2^{i} paris apice subter 2 aculeis, metatarsi 1^{i} paris aculeo 1 vel nullo ibi muniti sunt, metatarsi posteriores non tantum apice subter 3 aculeis præditi, verum etiam 2 aculeis ad apicem supra; præterea pedes aculeis carent. Tarsi toti cum metatarsis anterioribus, basi excepta, et apice metatarsorum posteriorum scopula densissima integra (*non* serie longitudinali setarum geminata) vestiti sunt, his scopulis apice truncatis, in tarsis anterioribus sat latis, præterea non latis dicendis; unguiculi lævissimi sunt, modo basi occultati, præterea detecti, vix ultra apicem scopulæ prominentes. *Abdomen* longius ovato-ellipticum. *Mamillæ* superiores tarsum 4^{i} paris longitudine paullo superant, art. 1° reliquis paullo longiore et crassiore, art. 2° reliquis paullo breviore, art. 3° reliquis paullo angustiore, sub-cylindrato, apice obtuso. Mamillae inferiores art. 1° superiorum duplo breviores et duplo angustiores sunt.

Color. — *Cephalothoraæ* in fundo rufo-piceus est, pilis densis appressis cinerascenti-testaceis ad maximam partem tectus et lanuginosus, versus margines pilis longioribus et magis luteo-ferrugineis sub-hirsutus. *Sternum*, cum labio et maxillis coxisque 4 posterioribus subter, in fundo nigricans est, coxæ 4 anteriores vero subter fusco-cinereæ; ut maxillæ subter dense pilosum est sternum, fovea oblonga obliqua lævi utrinque versus coxas 3^{ii} paris. *Mandibulæ* pilis densis brevibus aliisque longis luteo-ferrugineis dense vestitæ sunt; *maxillæ* intus rufo-ciliatæ. *Palpi* et *pedes* pilis brevibus appressis cinereis et fuscis densissime vestiti, et præterea pilis longis et setis cinerascentibus et sub-ferrugineis sat dense sparsi: pili breves cinerei lineas binas longitudinales supra in femoribus, tibiis et metatarsis formant. Scopulæ sub-cinerascenti-ferrugineæ. Procursus apicalis partis tibialis palporum cum spinulis suis niger; bulbus genitalis ruber, basi et apice nigris. *Abdomen* in fundo supra fusco-testaceum videtur; setis et pilis longis fortibus suberectis, summa basi nigris, apice pallidis, præterea vero ferrugineo-fuscis minus dense vestitum est, subter pilis minus longis ferrugineo-testaceis vestitum. *Mamillæ* ferrugineo-cinerascentes.

Lg. corp. (sine mandibulis et mamillis) 41 millim. Lg. cephaloth. 20, lat. ej. maxima 19, lat. front. 9$^{1}/_{2}$, lat. tuberculi oculorum 3$^{3}/_{4}$ millim. Lg. abd. 20$^{1}/_{2}$, lat. ej. 12$^{1}/_{2}$ millim. Mandib. 11 millim. longae, 4 millim. latæ; unguis 9 millim. longus. Palpi 46$^{1}/_{2}$ (pars fem. 16$^{1}/_{2}$, pars pat. 7$^{2}/_{3}$, pars tib. 16, pars tars. 5, bulbus 5$^{1}/_{2}$) millim. Pedes I 90, II 81, III 70, IV 81$^{1}/_{2}$ (fem. 21, pat. 8$^{1}/_{4}$, tib. 18, metat. 19, tars. 10$^{1}/_{4}$) millim. Mamillæ sup. 10, mam. inf. 2$^{1}/_{3}$ millim. longæ.

Exemplum masculum (»Westermann» signatum), quod singulum magnæ et pulchræ hujus speciei vidi, in ins. Pinang captum est. Ex Mus. Zool. Havniensi mecum communicatum fuit.

Gen. **Ischnocolus**, Auss., 1871.

3. ***I. sub-armatus***, n., *cephalothorace in fundo rufo-fusco, pilis cinerascenti-fuscis vel rufescentibus sub-hirsuto; abdomine in fundo cinereo-nigricanti, pilis rufescentibus vestito; ciliis maxillarum mandibularumque testaceis; palpis pedibusque testaceo- vel cinerascenti-fuscis, metatarsis omnibus apice aculeatis; unguiculis tarsorum muticis, non dentatis.* — ♀ *ad.* (?). *Long.* $15^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* sat humilis, inverse ovatus fere, antice truncatus, latitudine maxima $^2/_3$ longitudinis paullo superanti, latitudine frontis dimidium latitudinis maximæ vix superanti; pars cephalica modo paullo elevata est, dorso parum ad longitudinem convexo, tuberculo oculorum humillimo, spatio parvo a margine frontali remoto et fere duplo latiore quam longiore. Fovea centralis sat profunda et fortiter procurva est, duplo longius a margine frontali quam a margine postico cephalothoracis remota, tuberculum oculorum latitudine non æquanti. Area *oculorum* duplo longior est quam latior; series oculorum antica seriem posticam (paullo recurvam) longitudine plane aequat, desuper visa levissime recurva, pæne recta, a fronte visa modice deorsum curvata: linea recta oculos medios infra tangens laterales anticos fere in medio secat. Oculi medii antici rotundi oculis posticis oblongis et obliquis multo majores sunt; diameter illorum diametro longiore lateralium anticorum (qui ii quoque oblongi et obliqui sunt) paullo major est, diametro eorum minore multo major. Oculi medii antici spatio inter se distant, quod dimidia eorum diametro evidenter minus est, a lateralibus anticis spatiis etiam paullo minoribus remoti, his spatiis æque fere magnis atque est spatium inter oculos laterales anticum et posticum. Spatia inter oculos medios anticos et posticos, ut et spatium inter medium posticum et lateralem posticum, minuta, reliquis spatiis minora. *Sternum* æque longum ac latum, fovea parva oblonga obliqua utrinque posterius.

Mandibulæ formâ ordinariâ, graciles dicendæ; subter in margine interiore seriem longam dentium circa 10 parvorum ostendunt. *Maxillæ* pæne duplo longiores extus quam latiores, granulis minutis densis versus basin, intus, sparsæ; *labium* pæne rectangulum, dimidio latius quam longius, ad apicem dense et subtiliter granulosum. *Palpi* formâ ordinariâ, parte femorali fortiter incurva; unguiculus sat magnus, fortiter deorsum curvatus, lævis (non dentatus), fasciculo unguiculari pilorum longorum densissimorum pæne absconditus. *Pedes* sat breves (1^i paris cephalothorace $2^1/_2$ longiores), ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes, 4^i paris fere tarso suo 1^i paris pedes longitudine superantes; metatarsus 4^i paris tibiâ modo paullulo longior est. Metatarsi omnes aculeis brevibus armati sunt: metatarsi 1^i paris apice subter 1 aculeum minutum, metatarsi 2^i paris ibidem 3 aculeos parvos habent; metatarsi posteriores apice corona aculeorum circa 5—7 cincti sunt. Præterea pedes aculeis carent. Scopulæ tarsorum angustae, anteriores sat raræ, posteriores densiores et fascia lata longitudinali setarum geminatæ. Unguiculi læves (non dentati), desuper visi detecti, subter fasciculis duobus unguicularibus pilorum longorum obtecti. *Abdomen* longius et inverse elliptico-ovatum. *Mamillarum* superiorum art. 1^s circa

duplo longior quam latior est, art. 2s eo fere duplo brevior, vix dimidio longior quam latior (art. 3s in nostro exemplo est defractus).

Color. — *Cephalothorax* cum mandibulis supra in fundo rufo-fuscus; pilis cinereo-rufescentibus brevioribus sat crassis et sat densis sub-hirsutus est et pilis longis ejusdem coloris sparsus. *Mandibulæ* in dorso pilis brevibus cinerascentibus et longioribus rufescentibus vestitæ sunt, basi tamen et fascia longitudinali glabris; cilia earum, ut maxillarum, testacea sunt. *Palpi* et *pedes* testaceo- vel cinerascenti-fusci, pilis brevioribus magis cinerascentibus aliisque longioribus cinereo-rufescentibus vestiti et sub-hirsuti, subter cum *sterno* et *maxillis* clarius cinereo-fusci. *Abdomen* supra in fundo cinereo-nigricans vel fuscum, pilis brevibus appressis rufescentibus vestitum aliisque pilis longioribus ejusdem coloris sparsum. *Mamillæ* cinereo-testaceæ.

Lg. corp. $15^1/_2$; lg. cephaloth. 6, lat. ej. max. $4^1/_4$, lat. front. pæne $2^1/_4$ millim. Lg. abd. 10, lat. ej. 6 millim. Lg. mandib. $3^1/_2$, lat. ejus $1^1/_4$ millim. Palpi circa 8 millim. longi. Ped. I 15, II $12^4/_5$, III $11^1/_2$, IV 17 millim. Mamillæ sup.? (sine art. ultimo $2^1/_2$), mam. inf. circa $^3/_4$ millim. longæ.

Femina singula supra descripta in ins. Nanchovry capta est (G). — *I. inermi*, Auss.[1], hæc species haud dubie valde est similis: differt ab eo tuberculo oculorum humillimo, non alto, metatarsis 2i paris tribus aculeis (non aculeo singulo) apice subter armatis, et etiam metatarsis 1i paris ibi aculeo minuto præditis, porro unguiculis tarsorum muticis, non dentatis, ciliis maxillarum testaceis, non rufis, cet.

Fam. **Ctenizoidæ.**

Gen. **Damarchus**,[2] n.

Cephalothorax longior, parte thoracica humili, parte cephalica modice alta; fovea ordinaria centralis sat parva, fortiter procurva, longe pone medium cephalothoracis locata.

Sternum oblongum.

Oculi 8 conferti, tuberculo mediocri impositi; series oculorum anticorum, qui oculis posticis multo majores sunt, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata.

Mandibulæ formâ ordinariâ, rastello totum apicem mandibulæ supra occupanti instructæ.

Maxillæ pæne duplo longiores quam latiores, lateribus parallelis, angulo interiore apicis vix vel parum producto.

Labium, sulco profundo a sterno divisum, sat parvum est, transversum, apicem sat late truncatum versus sensim angustatum.

Pedes nec multo breves nec graciles, saltem in femina ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes; minus dense pilosi sunt et saltem in tibiis et metatarsis, non vero in tarsis, aculeati. Tibia 3ii paris impressione ad basin supra caret. Unguiculi superiores in pedibus saltem anterioribus serie dentium duplici instructi sunt; unguiculus inferior muticus.

Abdomen inverse subovatum.

---

[1] Ausserer, Beiträge z. Kenntn. d. Arachn.-fam. d. Territelariæ, *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XXI (1871), pp. 185 (69) et 188 (72).

[2] Nom. propr. pers. mythol.

Mamillæ 4; superiores, abdomine plus duplo breviores, ex articulis tribus constant, quorum ultimus medio longior est, a basi ad apicem sub-obtusum sensim angustatus; mamillæ inferiores minutæ.

Typus: *D. Workmanii*, N.

Hoc genus *Aporoptycho*, SIM.,[1] ex America et Africa, affine videtur, labio transverso, oculis mediis anticis laterales anticos magnitudine parum superantibus, cet., ab *Aporoptycho* discrepans.

4. ***D. Workmanii***, N., *cephalothorace sordide fusco, linea media longitudinali geminata partis cephalicæ et omnibus impressionibus radiantibus nigris; abdomine sordide fusco vel nigricanti, interdum lineis paucis transversis recurvis pallidis posterius in dorso notato; palpis pedibusque clarius testaceo- vel luteo-fuscis, apice nigris; oculis 4 utriusque lateris modo spatiis minutis separatis, oculis mediis anticis spatio paullo majore, $^1/_4$ diametri horum oculorum circiter æquanti, sejunctis, oculis posticis mediis vero spatio separatis, quod eorum diametro majore circiter 5:plo majus est. — ♀ ad. Long. fere 20 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* pæne dimidio longior quam latior, tibiam cum patella 4^{i} paris longitudine saltem æquans, antice truncatus, anteriora versus lateribus modo levissime rotundatis sensim sat leviter angustatus, lateribus posterius fortius rotundatis posteriora versus brevius et citius angustatus, latitudine maxima inter (ante) coxas 3^{ii} paris; postice paullo angustius quam antice rotundato-truncatus est et, in medio, emarginatus. Sat humilis est cephalothorax, dorso a latere viso a margine postico ad foveam centralem modo leviter assurgenti, dein non parum fortius assurgenti et levissime convexo, denique paullo fortius convexo, et antice usque ad tuberculum oculorum (spatio sat brevi) paullo proclivi. Pars thoracica parum, pars cephalica fortiter transversim convexa est, hæc triangula, non parum longior quam latior; impressiones cephalicæ fortissimæ sunt, reliqui sulci radiantes bene expressi quoque; fovea ordinaria centralis sat parva dicenda, fortissime procurva, fere V-formis, apicem partis cephalicæ cingens. Tuberculum oculorum altum est, antice et postice prærupte proclive, duplo latius quam longius, antice truncatum, postice leviter rotundatum. Pone hoc tuberculum, quod ut clypeus setas paucas ostendit, serie media longitudinali setarum longiorum prædita est pars cephalica; præterea parcius pilosus est cephalothorax, lævis et sat nitidus. Spatium inter oculos laterales anticos et verum marginem clypei eorum diametrum vix æquat. *Oculi* aream pæne triplo latiorem quam longiorem et vix latiorem antice quam postice occupant; series oculorum postica sat leviter recurva est, antica desuper visa recta, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata: linea recta laterales supra tangens medios infra tangit, vix secat. Oculi medii antici magni et spatio $^1/_4$ diametri suæ vix superanti disjuncti; lateralibus anticis modo paullulo majores sunt et cum iis pæne contingentes: immo omnes quattuor oculi utriusque lateris spatiis modo minutis inter se separati sunt. Oculi postici parvi, medii praesertim, qui lateralibus posticis pæne duplo breviores sunt; laterales postici, pæne duplo longiores quam latiores, lateralibus anticis evidenter sunt breviores iisque circa duplo angustiores. Spatium inter oculos medios posticos 5:plam diametrum longiorem horum oculorum circiter aequare videtur. *Sternum*

---

[1] Arachn. recueillis en 1882—1883 dans la Patagonie mérid. *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, XI (1886), p. (15).

non parum longius quam latius, antice rotundato-truncatum, lateribus pæne rectis posteriora versus sensim paullo dilatatum, modo postice citissime sensim angustatum, et hic brevissime acuminatum; utrinque posterius foveam sat magnam levissimam ostendit.

Mandibulæ mediocres, tibiam 1^{i} paris longitudine æquantes, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, toto apice supra rastello occupato. Margo interior sulci unguicularis serie longa dentium mediocrium armatus est. Unguis mandibulà non parum brevior. *Maxillæ* ad basin intus, ut labium apice, dentibus minutis conspersæ sunt. *Palpi*, aculeis carentes, partem tarsalem scopula minus densa munitam habent; unguiculus eorum dentibus 5 pectinatus est. *Pedes* mediocres (4^{i} paris cephalothorace circa 3:plo longiores), non multo dense pilosi; tarsi anteriores et saltem apex metatarsorum anteriorum scopula (in tarsis sat densa) instructi sunt, tarsi posteriores saltem apicem versus scopula rara præditi. Omnes tarsi aculeis carent; metatarsi 1^{i} paris subter extus 1. 1. et apice 2. aculeos habent, metarsi 2^{i} paris subter 2. 1, præter 4 apice subter; metatarsi posteriores ii quoque subter, ut in lateribus, aculeis nonnullis muniti sunt: metatarsi 3^{ii} paris etiam supra 1. 1. aculeos ostendunt. Tibiæ 1^{i} paris 3, 2^{i} paris 1 aculeum (apice) subter habent, præterea inermes, tibiæ 4^{i} paris aculeos paucos apice subter et in latere interiore; tibiæ 3^{ii} paris non tantum subter et in lateribus aculeis nonnullis præditæ sunt, verum etiam aculeo supra. Patellæ hujus paris 1. 1. 1. aculeos in latere interiore ostendunt. Reliquæ patellæ et femora vix aculeata sunt, vel modo una alterave seta forti aculei-formi prædita. Unguiculi tarsorum superiores mediocres, satis æqualiter curvati, apice longo; in anterioribus pedibus in margine exteriore, inter basin et medium, serie dentium sat longorum et gracilium circa 5 pectinati sunt, versus medium alterius marginis seriem dentium paucorum brevium, immo brevissimorum et densissimorum ostendunt. In pedibus posterioribus seriem singulam formare videntur dentes unguiculorum superiorum; in pedibus 4^{i} paris modo duo sunt. Unguiculus inferior muticus, in anterioribus pedibus minimus. *Abdomen* inverse ovatum. *Mamillæ* superiores metatarsos 3^{ii} paris longitudine æquant. Art. earum 1^{s} sub-cylindratus est, a latere inferiore visus saltem duplo longior quam latior, sursum flexus; art. 2^{s} eo paullulo angustior et circa duplo brevior est, cylindratus fere, non vel parum longior quam latior; art. 3^{s} art. 2° evidenter longior est (art. 1° tamen brevior) et eo non parum angustior, a basi ad apicem sub-obtusum sensim paullo angustatus, circa duplo et dimidio longior quam latior basi. Mamillæ inferiores sive anteriores cylindratæ sunt, superiorum art. 1° circa duplo breviores, et saltem duplo longiores quam latiores.

Color. — *Cephalothorax* sordide fuscus vel testaceo-nigricans, tuberculo oculorum et fascia media longitudinali geminata partis cephalicæ nigris, impressionibus cephalicis reliquisque sulcis radiantibus nigris quoque. *Sternum* testaceo-fuscum; *maxillæ* et *labium* eo paullo obscuriores. *Mandibolæ* nigræ. *Palpi* et *pedes* clarius testaceo- vel luteo-fusci, parte palporum tarsali et tarsis cum apice metatarsorum plus minus late nigris vel nigricantibus et densius, quam sunt pedes præterea, nigro-pilosis; femora saltem anteriora et pars palporum femoralis interdum paullo infuscata, testaceo-nigricantia, sunt. *Abdomen* in fundo cinerascenti-nigricans, nigro-pilosum, subter clarius, nigricanti-testaceum: in dorso posterius saltem interdum lineas paucas longas transversas pallidas retro fractas et in medio abruptas ostendit, vel series paucas longas transversas recurvas punctorum pellidorum. *Mamillæ* clarius fusco-testaceæ.

Lg. corp. $19^1/_2$; lg. cephaloth. $8^1/_2$, lat. ej. pæne 6, lat. clyp. circa 4; lg. abd. $11^1/_3$, lat. ej. pæne 7 millim. Palpi $13^1/_2$; ped. I $23^1/_2$, II $20^1/_2$, III $17^1/_2$, IV 25 millim. longi. Pat. + tib. I 8, pat. + tib. IV 8 millim. Mandib. 5; mamillæ sup. 4 millim. longæ.

Cel. WORKMAN feminam supra descriptam (quæ adulta videtur) aliasque paucas juniores in ins. Singapore invenit. De moribus hujus speciei hæc ad me scripsit vir amicissimus: »It makes a simple tube in the ground without any trap door and without raising the tube above the surface of the ground or in any way protecting it. In one case I found a lateral chamber opening slightly larger than the tube, also without a door».

Fam. CALOMMATOIDÆ.

Gen. **Calommata,** LUC., 1837.

5. ***C. Sundaica*** (DOL.).

Syn.: 1859. *Pelecodon sundaicus*, DOL., Tweede Bijdr. t. de Kennis d. Arachn. v. d. Ind. Archipel, *in* Verhand. d. Natuurkundig Vereen. in Nederlandsch Indië (Acta Soc. Scient. Indo-Neêrlandicæ), V, p. 5, Tab. XIII, figg. 2—2e.

1871. *Calommata sumatrana*, AUSS., Beitr. z. Kentn. d. Arachn.-fam. d. Territelariæ THOR. (Mygalidæ Autor.), *in* Verhandl. d. k. k. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XXI (1871), p. 130 (14).

Hujus speciei, cui DOLESCHALL perperam modo sex oculos tribuit, et quæ quum in Sumatra tum in Java vitam degit, exempla duo feminea Javana possidet Mus. Zool. Haun.

II. **DIPNEUMONES.**

Trib. **Cavitelariæ.**

Fam. FILISTATOIDÆ.

Gen. **Filistata,** LATR., 1810.

6. ***F. insularis,*** N., *cephalothorace testaceo-fusco, dense nigro-pulverulento, et serie macularum incurvarum nigrarum secundum margines laterales anguste nigros notato, parte cephalica lineis duabus inæqualibus sub-parallelis paullo incurvis nigris inclusa, palpis et pedibus testaceis, nigro-pubescentibus, illis cum pedibus anterioribus apice late sub-luteis; abdomine testaceo-nigricanti, pallido-piloso; serie oculorum postica seriem anticam vix ve non longitudine superanti, oculis tribus utriusque lateris contingentibus inter se, oculis mediis anticis spatio modo parvo separatis, mediis posticis vero spatio diametro sua non parum majore sejunctis. — ♀ jun. Long. saltem 3 millim.*

Femina jun. — *Cephalothorax* inverse sub-ovatus, pæne dimidio longior quam latior, lateribus in medio leviter, anterius et postice vero fortius rotundatis, utrinque ante oculos subito fortius sinuato-angustatus, præterea anteriora versus sensim modo parum angustatus, postice late truncato-emarginatus, angulis rotundatis. Humilis est, parte cephalica parva parum elevata et impressionibus cephalicis levibus utrinque limitata; clypei longitudo man-

dibularum longitudinem æquat, latitudine areæ oculorum circa dimidio major. *Oculi* magni, valde conferti; laterales, præsertim antici, reliquis majores sunt, medii antici rotundi reliquis minores, laterales antici rotundati, vix oblongi. Area oculorum fere duplo latior est quam longior; series oculorum postica serie antica vix longior est. Series antica a fronte visa fortissime deorsum est curvata, series postica desuper visa recta. Oculi terni utriusque lateris contingentes sunt inter se; oculi seriei anticæ pæne inter se contingentes; oculi medii postici, angulati, deplanati et albi, spatio diametro sua evidenter majore disjuncti sunt. Spatia inter oculos medios anticos et posticos illorum dimidiam diametrum vix æquant.

Mandibulæ duplo longiores quam latiores, tibias 1ⁱ paris crassitie æquantes. *Maxillæ* et *labium* ut in reliquis hujus generis araneis, e. gr. *F. testacea*, Latr., formata sunt. *Palpi* crassi; pars patellaris desuper visa pæne dimidio longior quam latior est, pars tibialis pæne duplo longior quam latior, a basi ad apicem sensim paullulum incrassata; pars tarsalis desuper visa parte tibiali paullo angustior est, eam longitudine æquans, plus duplo longior quam latior basi, a basi ad apicem primum leviter, dein (spatio paullo breviore) fortius sensim angustata, acuminata. Unguiculus palporum longus et sat fortis est, fortiter, fere in semicirculum, curvatus, et dentibus longis gracilibus densissimis fere 20 pectinatus. *Pedes* non ita fortes, longitudine mediocri (1ⁱ paris cephalothorace circa $3^2/_3$ longiores); metatarsi 4ⁱ paris recti sunt, crassitie æquali (non apicem versus sensim angustati, neque ad basin sinuati, nec fovea illa longa prædíti, quam versus basin metatarsi supra, intus, in *F. testacea* vidimus); ad basin intus costam longitudinalem tenuem brevem obscuriorem ostendunt hi metatarsi, quæ haud dubie *calamistrum* gessit (in nostro exemplo detritum). *Abdomen* inverse ovatum, circa $^1/_3$ longius quam latius. *Mamillæ* breves;[1] *cribellum* parvum, difficile visu, ut videtur sub-transversum et ad longitudinem divisum.

Color. — *Cephalothorax*, cum mandibulis pilis pallidis sat longis vestitus, in fundo testaceo-fuscus est, dense nigro-pulverulentus, summo margine laterali nigro, et præterea serie longitudinali lineolarum incurvatarum sive lunulatarum nigrarum secundum hunc marginem extensa utrinque notatus; pars cephalica lineis vel fasciis duabus longitudinalibus inæqualibus paullo incurvis nigris inclusa est. *Sternum* et *partes oris* pallide testacea; sternum, labium et maxillæ pilis longioribus pallidis sub-hirsuta sunt. *Palpi* et *pedes* pallide testacei quoque, apice palporum et pedum anteriorum late luteo (summo apice palporum et pedum tamen nigro). Pube appressa sat densa nigra ad maximam partem vestiti fuisse videntur palpi et pedes, hac pube præsertim supra in femoribus et in palporum parte femorali distinctissima; subter pallido-pilosa sunt coxæ et internodia illa. *Abdomen* supra in fundo testaceo-nigrum vel fuscum fuisse videtur, pube pallida vestitum, ventre et *mamillis* cinerascenti-testaceis.

♀ *jun.* — Lg. corp. 3 millim. Lg. cephaloth. $1^1/_2$, lat. ej. pæne $1^1/_4$; lg. abd. paullo plus $2^1/_3$, lat. ej. pæne $1^1/_2$ millim. Ped. I $5^1/_2$, II $4^1/_2$, III circa $3^1/_2$, IV $5^1/_4$ (pat. + tib. circa $1^2/_3$) millim. longi.

---

[1] In gen. *Filistata* (saltem in *F. testacea*, Latr., et in *F. capitata*, Hentz) mamillæ inferiores sive anteriores extus distincte tri-articulatæ sunt!

Exemplum singulum femineum nondum adultum (pullum?) hujus speciei vidi, in insula, quæ Kar Nicobar vocatur, captum (G.). Colore cephalothoracis et distributione oculorum ab aliis *Filistatis* adhuc cognitis facile internosci posse videtur.

Trib. **Tubitelariæ.**

Fam. DRASSOIDÆ.

Gen. **Pœcilochroa,** Westr., 1874.

7. ***P. Behnii,*** n., *cephalothorace ferrugineo-piceo, pube tenui densa appressa alba tecto et pilis fulvis sparso; pedibus fusco-testaceis, eodem modo pubescentibus et pilosis paulloque nigro-annulatis, pedibus sex anterioribus ad longitudinem parum inter se discrepantibus; abdomine superius nigro, ferrugineo-luteo-piloso et, posterius, vitta transversa paullo undulata, præsertim in medio angusta, alba ornato; ventre cinereo-nigricanti. — ♀ ad. Long. circa 7 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non parum longior quam tibia cum patella 4[i] paris, circa dimidio longior quam latior, inverse ovatus fere, antice utrinque apud (pone) palpos modice sinuato-angustatus, parte thoracica lateribus in medio modice, præterea sat leviter rotundatis anteriora et posteriora versus pæne æqualiter angustata, tenuiter elevato-marginata, parte cephalica (quoad libera est) non brevi lateribus pæne rectis anteriora versus sensim paullo angustata, fronte ample rotundata, satis angusta, dimidiam partem thoracicam latitudine non æquanti. Impressiones cephalicæ vix ullæ; sulcus ordinarius centralis brevis sed distinctus. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametrum saltem æquat; spatium inter marginem illum et oculos laterales anticos eorum diametro evidenter minus est. Series duæ *oculorum* apicibus non parum divaricant; series postica, quæ pæne dupla oculi lateralis diametro longior est quam antica, desuper visa leviter recurva est, a fronte visa leviter deorsum curvata; series antica a fronte visa modice deorsum est curvata. Oculi postici spatiis æqualibus, oculi diametrum saltem æquantibus, separati sunt. Oculi antici conferti, sat magni, medii lateralibus paullo majores; oculi medii antici spatio minuto disjuncti videntur, cum lateralibus pæne contingentes. Oculi postici pæne æquales anticis oculis paullo sunt minores (medii postici reliquis oculis magis deplanati). Spatium inter oculos binos laterales oculi diametro pæne duplo est majus, et non parum majus quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis remoti sunt. Oculi medii aream occupant, quae non parum longior est quam latior postice, et paullo latior postice quam antice. *Sternum* vix dimidio longius quam latius, in lateribus sat fortiter rotundatum, antice satis anguste truncatum, postice breviter acuminatum, læve, planum.

Mandibulæ fere duplo et dimidio longiores quam latiores, patellas anticas longitudine circiter æquantes iisque paullo latiores; apice paullo oblique truncatæ sunt, in dorso leviter convexæ, nitidæ, subtiliter transversim striatæ. Sulcus unguicularis postice et præsertim antice denticulis paucis parvis est armatus. *Maxillæ* porrectæ, parallelæ, fere duplo longiores quam latiores, labio dimidio longiores, impressione longitudinali obliqua forti præditæ; palpus paullo magis versus basin quam versus apicem maxillæ ei injunctus est; in latere exteriore, ante insertionem palpi, late et leviter emarginatæ sunt maxillæ,

apice truncatæ, angulo exteriore rotundato, angulo interiore late et oblique truncato. *Labium* multo longius quam latius, a basi ad apicem rotundatum sensim angustatum. *Pedes* breves, sat robusti; tarsi metatarsis multo, circiter duplo, breviores sunt. Pedes 4[1] paris reliquis, qui pæne eadem sunt longitudine, non parum longiores. Tarsi omnes et metatarsi posteriores scopula evidenti muniti. Pedes anteriores supra et antice in femoribus aculeis paucis præditi sunt: subter in tibiis 1. 1., subter ad basin metatarsorum 1 (vel 2?) aculeos ostendunt, præterea inermes. Pedes posteriores in tibiis et in metatarsis aculeis sat crebris armati sunt, in patellis saltem postice aculeo præditi et supra in femoribus quoque aculeis nonnullis instructi. *Abdomen* pæne duplo longius quam latius, ellipticum. *Mamillæ* inferiores, basi sat late inter se remoti, mamillis superioribus circa dimidio longiores sunt. *Vulva* ex tuberculis duobus humillimis inæqualibus sub-incurvis nigricantibus constare videtur, paullo ante sulcum genitalem sitis et spatio sat magno separatis.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-piceus vel fuscus est, pube appressa sub-sericea densa albicanti tectus et pilis pæne erectis fulvis sat dense sparsus. *Sternum* ejusdem coloris, pilis longis sat dense sparsum. *Mandibulæ* paullo clarius ferrugineo-fuscæ, pilis sub-porrectis pallidis conspersæ. *Maxillæ* testaceo-fuscæ, apice flavo-ciliatæ; *labium* ferrugineo-piceum. *Palpi* fusco-testacei, pallido-pilosi. *Pedes* fusco-testacei (posteriores paullo pallidiores), paullo nigro-annulati, pube albicanti saltem ad magnam partem vestiti, præterea pilis fulvis minus densis (præsertim subter in femoribus longis) sparsi; femora postica et patellæ apice nigra sunt, ut tibiæ posteriores et omnes metatarsi. Aculei fusci vel nigricantes. *Abdomen* in fundo nigricans est, pilis ferrugineo-luteis sat dense vestitum et in dorso postice vitta transversa longa inæquali, leviter undulata, præsertim in medio angusta, alba ornatum, quæ utrinque fere ad medium lateris pertinet et circiter duplo longius a basi abdominis quam ab ano distat. Venter cinereo-nigricans, cinerascenti- vel subtestaceo-pilosus, scutis pulmonalibus flavis, spatio inter ea pallido quoque. *Mamillæ* testaceo-fuscæ, supra ad partem sericeo-albicanti-pubescentes.

Lg. corp. 7 millim. Lg. cephaloth. $3^1/_3$, lat. ej. $2^1/_4$, lat. front. circa 1; lg. abd. 4, lat. ej. $2^1/_4$ millim. Ped. I 7, II circa 7, III circa 7, IV $8^3/_4$ (pat. + tib. $2^2/_3$) millim.

Femina, quam singulam vidi, in ins. Nanchovry capta est (G.).

Gen. **Pranopis**, n.[1]

Cephalothorax inverse sub-ovatus, altus, anterius fortius convexus et proclivis, clypeo sat alto, directo, plano, infra elevato-marginato; sulco dorsuali centrali brevi, forti.

Oculi 8, quorum antici, præsertim medii, magni sunt, postici iis non parum minores, in series duas transversas apicibus appropinquantes et circa $^2/_3$ latitudinis frontis occupantes dispositi sunt; utraque series sat fortiter deorsum est curvata, series postica paullo longior quam antica, desuper visa levissime procurva vel recta. Oculi medii aream pæne quadratam occupant; oculi antici spatiis parvis separati sunt, oculi postici spatiis diametro oculi non parum majoribus disjuncti; spatium, quo oculi antici a margine clypei distant, eorum diametro paullo majus est.

[1] πρανής, proclivis; ὤψ, facies.

Mandibulæ fortes, supra inermes.

Maxillæ labio saltem duplo longiores et circa duplo longiores quam latiores, apice valde oblique truncatæ, circum labium paullo incurvæ, parum vero in id inclinatæ, convexæ, impressione carentes.

Labium æque fere longum ac latum, apicem late truncatum versus sensim angustatum.

Pedes mediocres, apicem versus graciles, verisimiliter ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes, aculeis præsertim subter in tibiis et metatarsis longis et appressis armati, patellis non aculeatis. Unguiculi tarsorum bini apice deflexi, præterea (saltem in pedibus posterioribus) recti, pectinato-dentati.

Abdomen oblongum, dorso saltem interdum (in ♂) scuto basali duriusculo prædito; venter rima transversa media caret.

Mamillæ sex; superiores et inferiores æque fere longæ et crassæ, art. 2° brevissimo, obtuso.

Typus: *P. punctata*, N.

Gen. *Megœræ*, Sim., et *Creugæ*, Thor., hoc genus haud dubie valde est affine, ab illo oculis paullo alio modo ordinatis, oculis mediis anticis minoribus et clypeo altiori saltem diversum, ab hoc vero cephalothorace alto et fortius convexo, ut et clypeo altiori et marginato præsertim differens.

8. ***P. punctata,*** N., *cephalothorace et mandibulis piceis, illo subtiliter impresso-punctato, his et sterno crassius impresso-punctatis et sub-scabris; pedibus testaceo-piceis, palpis saltem basi ejusdem coloris, parte tibiali magna, sub-triangula, apice subter, extus, procursum emittenti; abdomine testaceo-fusco, pallido-piloso, scuto basali dorsi ferrugineo-testaceo. — ♂ ad. Long. circa $7^1/_2$ millim.*

Mas. — *Cephalothorax*, tibiam cum patella 4^i paris longitudine pæne æquans, circa $^1/_3$ longior est quam latior, breviter et inverse ovatus fere, in lateribus partis thoracicæ, quæ margine tenui elevato cincta est, præsertim posterius fortiter et ample rotundatus, utrinque anterius evidenter sinuatus, parte cephalica quoad libera est fere duplo latiore quam longiore et lateribus postice pæne rectis, antice leviter rotundatis anteriora versus sensim paullo angustata, fronte modo leviter rotundata, sat lata, dimidiam partem thoracicam latitudine evidenter superanti; postice modo breviter truncatus est cephalothorax. Altus est, transversim valde convexus, a latere visus satis convexus quoque: declivitas postica sat longa est, parum convexa, modice assurgens; ipsum dorsum tum, primum, vix vel parum assurgens et modo leviter convexum est, dein vero (spatio æque fere longo) usque ad clypeum sat fortiter proclive et modice convexum; clypeus sat altus, planus, directus, margine tenui elevato recto infra limitatus. Nitidus est cephalothorax, subtiliter et dense impresso-punctatus, impressionibus cephalicis et reliquis sulcis radiantibus obsoletis, sulco ordinario centrali sat forti sed brevi, $^1/_3$ tarsi 4^i paris longitudine parum superanti. Area *oculorum*, qui in series duas transversas, extremitatibus paullo appropinquantes, ordinati sunt, paullo plus dimidium latitudinis partis cephalicæ occupat. Series postica evidenter (circa diametro oculi lateralis postici) longior est quam antica, desuper visa modo levissime procurva: series antica, hoc modo visa, leviter recurva est. A fronte visa utraque series, præsertim antica, sat fortiter deorsum est curvata. Oculi anteriores magni, præsertim medii eorum; omnes convexi sunt et, exceptis lateralibus anticis oblongis, rotundi. Oculi

medii antici lateralibus anticis circa dimidio majores sunt, oculis 4 posticis (quorum laterales mediis non vel parum majores videntur) circa duplo majores. Oculi medii aream pæne quadratam, parum latiorem postice quam antice, et paullulo latiorem postice quam longiorem occupant; spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, oculi postici diametrum vix æquant. Spatia inter oculos binos laterales spatiis illis saltem duplo minora sunt, dimidiam diametrum oculi lateralis postici non æquantia. Oculi medii antici spatio circiter $^1/_4$ diametri suæ æquanti sunt separati, et parum longius a lateralibus anticis quam inter se remoti. Oculi medii postici, a lateralibus posticis paullulo longius quam inter se remoti, spatio sunt disjuncti, quod oculi diametro non parum, pæne dimidio, majus est. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei horum oculorum diametro paullo majus est, laterales antici quoque spatio diametro sua paullo majore a margine clypei sunt remoti. *Sternum* paullulo longius quam latius, brevissime ovatum et antice latissime truncatum; levissime convexum est, nitidum, dense et sat subtiliter impresso-punctatum.

Mandibulæ parallelæ, deorsum et paullo anteriora versus directæ, longæ et fortes, coxis anticis evidenter crassiores, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, nitidæ, dense et fortius quam cephalothorax impresso-punctatæ et sub-scabræ; a fronte visæ cylindratæ sunt, modo apice (in circa $^1/_3$ longitudinis) intus sensim angustatæ, latere exteriore pæne recto, parum rotundato; a latere visæ in dorso magis versus basin fortiter convexæ sunt. Sulcus unguicularis postice serie dentium 4 sat parvorum est armatus, antice dense ciliatus et tum, longe ab ungui, dentibus saltem 2 (anteriore majore) præditus. Unguis sat longus et fortis, fortius curvatus, intus et retro directus. *Maxillæ* convexæ, impressione carentes, circa duplo longiores quam latiores, circum labium curvatæ, sed parum in id inclinatæ, apice late et valde oblique truncatæ, basi angustæ, præterea vero æquali latitudine. *Labium* maxillis saltem duplo brevius, æque saltem latum basi ac longum, a basi ad apicem late truncatum lateribus rectis sensim angustatum, margine satis tenui paullo elevato anterius cinctum. *Palpi* mediocri longitudine, sat fortes; pars femoralis incurva et apicem versus incrassata est, pars patellaris pæne dimidio longior quam latior, apice rotundata; pars tibialis desuper visa triangula est, a basi apicem versus sensim fortiter dilatata, parte patellari circa duplo longior (in latere interiore) et duplo latior (apice): apice æque lata est ac longa in latere interiore (latere exteriore multo breviore), angulo exteriore-anteriore dentem brevem fortissimum, obtusum, nitidum, foras et paullo anteriora versus directum formanti; apex late, oblique et inæqualiter truncatus versus hunc dentem, superius, late et sat profunde emarginatus est, et intus late sed parum profunde emarginatus quoque. Ex apice subter, extus, procursum fortem, compressum, oblique acuminatum emittit pars tibialis, qui deorsum, anteriora versus et foras directus est et in margine superiore dentes duas vel tres parvos ostendit. Pars tarsalis internodia duo præcedentia conjuncta longitudine æquat, apicem partis tibialis latitudine saltem æquans: oblique ovata fere est, pæne duplo longior quam latior, in latere interiore leviter, in exteriore latere fortius rotundata, apice sensim angustato-acuminato. Inter basin suam et apicem partis tibialis tuberculum sive dentem brevem crassum, obtusum, foras directum emittit, aliumque procursum brevem obtusum sub ipso angulo exteriore partis tibialis. Bulbus fere ovatus, non altus, subter leviter convexus, lævis et nitidus, apice oblique

truncatus ibique inæqualis; ex apice, intus, spinam sat longam fortem, foras et anteriora versus directam et paullo curvatam, emittit; in apice, extus, costam quandam parvam curvatam flavam ostendit. *Pedes* mediocres, apicem versus satis æqualiter angustati, metatarsis et præsertim tarsis (qui cylindrati sunt) gracilibus et longis. Patellæ aculeis carere videntur; præterea pedes præsertim subter in tibiis et metatarsis aculeis valde longis non ita crebris armati sunt: subter extus in tibiis 2i paris series aculeorum ejusmodi 4 appressorum conspicitur, et subter intus saltem unus alterve aculeus adest. Femora aculeis paucis minus longis superius armata sunt. Tarsi saltem posteriores scopula carent. Unguiculi pedum saltem posteriorum longi et valde angusti sunt, apice deorsum curvati, præterea recti et dentibus paucioribus brevibus, immo brevissimis pectinati; pili fasciculorum unguicularium densorum apice dilatati sunt. *Abdomen* anguste ovatum, pæne duplo longius quam latius, molle, excepto quod scuto basali duriusculo oblongo, nitido, fere ad $^1/_3$ longitudinis dorsi pertinenti præditum est. *Mamillæ* sat breves, superiores et inferiores cylindratæ, obtusæ et pæne eadem longitudine et crassitie, superiores modo paullulo longiores et angustiores quam inferiores, quæ spatio parvo, diametrum mamillæ non æquanti, disjunctæ sunt; articulus 1s superiorum fere duplo, inferiorum circa dimidio longior est quam latior, art. 2s utrarumque transversus, brevissimus, obtusus.

Color. — *Cephalothorax*, qui pilis erectis luteis parcius sparsus est et pube tenui appressa cinerascenti præditus (vestitus?) quoque, nigro-piceus est, ut *mandibulæ*, quæ pilis pallidis sub-erectis sparsæ sunt et apice intus fulvo-ciliatæ. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* clarius picea, parce pallido-pilosa. *Pedes* testaceo-picei, ut *palpi*, quorum pars tibialis saltem apice et in lateribus, et pars tarsalis saltem basi (cum bulbo genitali) nigro-piceæ vel nigræ tamen sunt. Pilis fulvis vel luteis minus densis vestiti sunt pedes et palpi; aculei pedum plerique pallide fusci. *Abdomen* testaceo-fuscum, pilis testaceis minus dense vestitum, scuto basali ferrugineo-testaceo paullo pallido-piloso quoque. Venter et *mamillæ* sordide fusco- vel testaceo-cinerascentes.

Lg. corp. $7^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. $3^3/_4$, lat. ej. pæne $2^3/_4$, lat. front. $1^3/_4$; lg. abd. $3^2/_3$, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I ?, II saltem 10, III $9^1/_2$, IV $11^1/_2$ (pat. + tib. paullo plus $3^3/_4$) millim. longi.

Marem unicum mutilatum (pedibus 1i paris aliisque carentem) vidi, in ins. Nanchovry captum (G.).

Gen. **Corinnomma**, Karsch, 1880.

9. ***C. comulatum***, n., *cephalothorace nigro, cum femoribus (supra) pilis parvis plumatis æneo-cinerascentibus vestito, pedibus in fundo nigris, apice piceis, patellis et tibiis pedum anteriorum rufescenti-piceis; serie oculorum anticorum a fronte visa levissime deorsum curvata, oculis mediis anticis paullo longius inter se quam a lateralibus anticis remotis; abdomine circa dimidio longiore quam latiore, inverse piriformi-ovato, vix deorsum curvato, non constricto, in fundo nigro toto, pilis parvis plumatis vestito, qui saltem antice in dorso æneo-cinerascentes sunt, præterea ad maximam partem aureo-fusci, pilis hujus coloris vittas duas transversas versus basin, superius, formantibus et posterius in dorso cum pilis æneo-cinerascentibus mixtis.* — ♀ *ad. Long. circa* $8^1/_4$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* pæne duplo longior quam latior, tibiâ cum patella 4i paris vix vel parum longior, utrinque antice leviter sinuatus; pars thoracica, in lateribus paullo inæqualiter rotundata, anteriora versus sensim sat leviter, posteriora versus fortius angustata est, postice breviter truncata et multo angustior quam antice; pars cephalica brevis, lateribus pæne parallelis et rectis (modo antice rotundatis) anteriora versus vix angustata, fronte leviter rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superanti. Sulcus ordinarius centralis tenuissimus et brevissimus est, impressiones cephalicæ vix ullæ. Subtilissime et dense impresso-punctatus vel coriaceus est cephalothorax, pilis plumatis appressis dense vestitus, ut abdomen et femora, superius. Sat altus est, dorso in medio fere librato et parum convexo, præterea anterius sat fortiter convexo-proclivi, posterius etiam fortius et longius declivi sed hic parum convexo. Clypeus directus est, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos æquans. Area *oculorum* paullo plus duplo longior est quam latior, plus $^1/_2$ sed vix $^2/_3$ latitudinis frontis occupans; series oculorum duæ extremitatibus sat fortiter inter se appropinquant; series postica pæne dupla oculi lateralis diametro longior est quam antica. A fronte visa series antica modo levissime deorsum curvata est, postica modice deorsum curvata; desuper visa series antica modice est recurva, postica recta, non procurva. Oculi medii aream paullo latiorem postice quam antice et æque longam ac latam postice occupant. Oculi medii antici lateralibus anticis circa duplo majores sunt; oculi postici (quorum laterales mediis paullulo majores videntur) lateralibus anticis paullo sunt majores; oculi bini laterales spatio sunt disjuncti, quod diametrum anterioris eorum vix æquat: oculi medii antici a mediis posticis spatiis plus duplo majoribus, oculi medii postici diametrum superantibus, remoti sunt. Spatium inter oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum vix æquat; a lateralibus anticis spatiis etiam paullo minoribus sejuncti sunt. Oculi medii postici spatio diametro sua circa dimidio majore sunt separati et non parum (vix dimidio tamen) longius inter se quam a lateralibus posticis remoti. *Sternum* opacum, circa dimidio longius quam latius, antice sat late truncatum, lateribus anterius modice rotundatis, posterius pæne rectis sensim angustato-acuminatum.

Mandibulæ deorsum et paullum anteriora versus directæ, parallelæ, femoribus anticis non parum crassiores, plus duplo longiores quam latiores, patellis et tarsis anticis circa dimidio longiores, intus fere a medio ad apicem sensim angustatæ et levissime rotundatæ, in latere exteriore pæne rectæ; in dorso læves et nitidæ sunt, versus basin fortissime convexæ, ad basin lateris exterioris elevatione humili oblonga nitidissima præditæ. Unguis mediocris. *Maxillæ* circa dimidio longiores quam latiores apice, labio circa duplo et dimidio longiores, impressione carentes; a basi ad apicem sensim satis dilatatæ sunt, lateribus paullum concavatis, lateribus exterioribus parallelis, interioribus in labium inclinatis, apice late et paullo oblique truncato, rotundato. *Labium* paullo latius quam longius, apicem leviter rotundatum versus paullo angustatum. *Palpi* graciles, aculeis paucis gracilibus muniti. *Pedes* breves, graciles (præsertim metatarsi et tarsi), parcius pilosi et pubescentes, aculeis minus crebris gracilibus in femoribus, tibiis et metatarsis muniti: patellæ aculeis carent. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos sat longos appressos habent. Tarsi saltem anteriores scopula prædíti sunt. Unguiculi parvi sed sat fortes, non longi, apice fortiter deorsum curvati, in dorso præterea recti;

dentibus directis crassis et modice longis (circa 5 in pedibus 2' paris) pectinati sunt. Pili fasciculorum unguicularium apice modo leviter dilatati. *Abdomen*, petiolo duro, in medio articulato et postice crassiore cum cephalothorace conjunctum, cute duriuscula tectum est, quæ scutum parvum durius ad basin dorsi formare videtur (?); circa dimidio longius est quam latius, inverse piriformi-ovatum, antice angustum, posteriora versus lateribus antice leviter, posterius fortius rotundatis sensim dilatatum, postice ample rotundatum, non constrictum, dorso a latere viso convexo. *Vulva* parum conspicua: ex area parva pæne lævi sub-transversa formata videtur, quæ utrinque tuberculum parvum nitidum ostendit. *Mamillae* eadem longitudine fere sunt, obtusæ; inferiores inter se contingentes et superioribus paullulo crassiores.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum*, *partes oris* et *abdomen* in fundo nigra sunt, *palpi* piceo-testacei, parte femorali obscuriore; *pedes* nigri, apice magis picei, patellis et tibiis pedum saltem anteriorum rufescenti-piceis, tarsis sub-piceis. Cephalothorax et pedes (saltem in femoribus) pube appressa plumata obscure æneo-cinerascenti vestiti sunt; abdomen supra saltem ad basin ejusmodi pube vestitum, præterea vero, ut in lateribus superius, pube magis aureo-fusca, quæ pubes duo cingula vel vittas transversas duas in medio angustiores, inferius dilatatas, versus basin abdominis sitas formare quoque videtur: postice dorsum pube tali, intermixta æneo-cinerascenti, vestitum est. *Mamillæ* fuscæ.

Lg. corp. $8^1/_4$; lg. cephaloth. paullo plus $3^1/_2$, lat. ej. 2, lat. front. circa $1^1/_6$; lg. abd. $4^3/_4$, lat. ej. 3 millim. Ped. I 9, II $8^3/_4$, III paullo plus 8, IV 11 (pat. + tib. $3^1/_3$) millim. longi.

Feminam singulam satis detritam cognovi, in ins. Sambelong captam (G.).

Gen. **Tolophus**, n.[1]

Cephalothorax inverse sub-ovatus, sat humilis, clypeo humili, sulco ordinario centrali distincto, brevi.

Oculi 8 mediocres, in duas series transversas, extremitatibus appropinquantes, dispositi; series postica, quæ pæne totam frontis latitudinem occupat, multo longior est quam series antica, et desuper visa recta vel paullo procurva; series antica recta vel paullo deorsum curvata est. Oculi medii aream latiorem postice quam antice et breviorem quam latiorem postice occupant; oculi medii antici longius inter se quam a lateralibus anticis distant.

Mandibulæ in dorso inermes, non magnæ, parallelæ, sub-cylindratæ, apice intus oblique truncatæ, sulco unguiculari antice et postice denticulis paucis armato; unguis mediocris.

Maxillæ parallelæ, impressione carentes, fere duplo longiores quam latiores, labio non duplo longiores, in latere exteriore late emarginatæ, apice extus late dilatato-rotundato, intus late et oblique truncato; labium non parum longius quam latius, apicem late truncatum versus paullo angustatum.

---

[1] Τόλοφος, nomen propr. pers.

Pedes mediocres, ita: IV, II, I, III longitudine se excipientes, aculeis præsertim in pedibus posterioribus sat crebris armati; patellæ 4ⁱ paris aculeo intus munitæ. Metatarsi et tarsi anteriores scopula instructi. Unguiculi bini dentibus longioribus pectinati.

Abdomen angnste ovatum.

Mamillæ 6, superiores et inferiores sat longæ eademque longitudine fere, cylindratæ, art. 2° brevissimo, obtuso; mamillæ inferiores spatio modo minuto separatæ.

Typus: *T. sub-maculatus*, N.

Hoc genus *Clubionæ* (LATR.) simillimum est: præsertim differt pedibus 2ⁱ paris pedes 1ⁱ paris longitudine superantibus, serie oculorum postica fortius deorsum curvata et oculis mediis anticis longius inter se quam a lateralibus anticis remotis.

10. ***T. sub-maculatus,*** N., *cephalothorace non parum breviore quam tibia cum patella 4ⁱ paris, cum palpis et pedibus pallide fusco-testaceo; abdomine fusco-cinerascenti, utrinque superius paullo nigro-maculato et, supra anum, transversim nigro-vittato; oculis mediis posticis longius inter se quam a lateralibus posticis remotis; palporum parte tibiali apice supra, extus, dente minuto armata. — ♂ ad. Long. circa 6½ millim.*

Mas. — *Cephalothorax* tibiâ 4ⁱ paris paullo longior est, latitudine ⅔ longitudinis æquanti, inverse sub-ovatus, utrinque anterius evidenter sinuatus, in lateribus partis thoracicæ modice rotundatus, postice sat late truncatus et paullo emarginatus; pars cephalica sat magna est, lateribus rectis anteriora versus sensim paullo angustata, frons leviter rotundata, latitudine dimidiam partem thoracicam circiter æquans. Sat humilis est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam brevem fere recto, area oculorum proclivi; impressiones cephalicæ vix ullæ sunt, sulcus ordinarius centralis distinctissimus, brevis et tenuis. *Oculi* mediocres, anteriores posterioribus evidenter majores. A fronte visa series oculorum antica pæne recta est, omnium levissime deorsum curvata, series postica vero sat fortiter deorsum curvata; desuper visa series postica, quæ serie antica multo (plus dupla oculi lateralis diametro) longior est, levissime procurva, pæne recta est, series antica leviter recurva. Oculi bini laterales spatio sunt separati, quod oculi diametrum circiter æquat et non parum minus est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant; oculi medii aream postice multo latiorem quam antice, et breviorem quam latiorem postice, occupant. Oculi medii antici spatio sunt sejuncti, quod eorum diametrum fere æquat, vix superat: a lateralibus anticis spatiis plus duplo minoribus, quam quo inter se distant, remoti sunt. Oculi medii postici, spatio duplam oculi diametrum superanti separati, paullo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei dimidiam horum oculorum diametrum vix æquat. *Sternum* ovatum, circa dimidio longius quam latius.

Mandibulæ parallelæ, deorsum et paullulo anteriora versus directæ, a fronte visæ cylindratæ, apice intus sat late et oblique truncatæ; sat parvæ sunt, patellas anteriores longitudine vix superantes, femoribus anticis parum latiores, duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso ad basin modice convexæ, dorso præterea recto, transversim tenuiter striato, nitido, pilis longis fortibus densius sparso. Sulcus unguicularis postice dentibus minutis duobus, antice dentibus tribus (medio mediocris magnitudinis, reliquis minutissimis) armatus est; unguis sat brevis, modice curvatus, intus directus. *Maxillæ* parallelæ, circa duplo longiores quam latiores versus apicem (ubi dilatatæ sunt), latere

exteriore late emarginato, latere interiore in labium paullo inclinato; apex maxillæ extus ample et fortiter rotundato-dilatatus est, intus vero valde late et valde oblique truncatus. *Labium* dimidia maxilla paullo longius est, apicem late truncatum versus sensim paullulo angustatum, pæne dimidio longius quam latius. *Palpi* mediocres; pars eorum patellaris cylindrata est, duplo longior quam latior, pars tibialis ea parum brevior eaque (apice) parum latior, a basi ad apicem modo levissime incrassata, pæne duplo longior quam latior; apex ejus supra ad ipsum latus exterius dentem minutum ferrugineum format. Pars tarsalis anguste ovata est, parte tibiali pæne dimidio longior et latior; bulbus sub-globosus, lævissimus, spina gracili in helicem involuta apice munitus. *Pedes* mediocres, ita: IV, II, I, III longitudine se excipientes; aculeis sat multis mediocribus armati sunt, præsertim in tibiis et metatarsis posterioribus. Femora omnia 1. 1. 1. aculeos supra habent, 1^{i} et 2^{i} parium præterea 1 aculeum antice, versus apicem superius situm: femora 3^{ii} paris aculeis 1. 1. antice, 1. 1. postice, femora 4^{i} paris 1 antice, 1 postice munita sunt. Patellæ 4^{i} paris saltem 1 aculeum, postice locatum, habent; reliquæ patellæ inermes videntur. Tibiæ et metatarsi anteriores modo subter aculeata sunt: tibiæ 1^{i} paris 2. 2., tibiæ 2^{i} paris 1. 2. aculeis sunt armatæ, metatarsi horum parium 2. 2. aculeis, versus basin sitis; tibiæ 3^{ii} paris, præter alios aculeos, 1. 1. aculeos subter habent. Metatarsi et tarsi anteriores scopula tenui sunt prædíti. Unguiculi mediocres, dentibus longis pectinati; in pedibus 1^{i} paris alter unguiculorum dentibus 6 fortioribus armatus est, alter 12 dentibus, quorum 3 ultimi fortes sunt, reliqui graciles, densissimi. Pili fasciculorum unguicularium apice acuminati. *Abdomen* anguste ovatum, circa duplo longius quam latius. *Mamillæ* inferiores et superiores æque fere longæ, cylindratæ, obtusæ, art. 2° brevissimo; mamillæ inferiores, superioribus non parum crassiores, spatio parvo separatæ sunt; art. 1^{s} superiorum plus duplo longior est quam latior.

Color. — *Cephalothorax* sordide testaceo-fuscus, antice infuscatus, *mandibulæ* ferrugineo-fuscæ; *sternum*, *maxillæ*, *labium*, *palpi* (bulbo fusco excepto) et *pedes* pallide fusco-testacea, pedes posteriores apice albicanti-testacei; sternum margine anguste fusco in maculas minutas abrupto est cinctum. *Abdomen* supra cinereo-fuscum, vestigiis macularum parvarum oblongarum utrinque in dorso, quæ maculæ postice in lineas transversas subarcuatas binæ confluunt; venter et *mamillæ* cinerascenti-testacea sunt. — Cephalothorax antice pilis longis sub-erectis obscurioribus sparsus est et pilis tenuioribus magis appressis pallidis vestitus; pedes eodem modo appresso-pilosi sunt et præterea pilis patentibus longis albis dense conspersi aculeisque nigris armati. Mandibulæ pilis longis vel potius setis sub-erectis fulvis sat dense sparsæ sunt; abdomen sat dense sub-testaceo-pilosum.

Lg. corp. $6^{1}/_{2}$; lg. cephaloth. pæne 3, lat. ej. pæne 2, lat. front. circa 1; lg. abd. $3^{1}/_{2}$, lat. ej. $1^{5}/_{6}$ millim. Ped. I pæne 8, II $8^{1}/_{2}$, III $6^{3}/_{4}$, IV pæne 11 millim. longi; pat. + tib. IV 4 millim.

Marem unicum cognovi, in insula, quæ Kar Nicobar vocatur, inventum (G.).

Gen. **Eutittha**, Thor., 1877.

11. ***E. conspersa***, n., *cephalothorace tibiam 4^{i} paris longitudine æquanti, sulco centrali carenti, cum pedibus et partibus oris sub-fusco-testaceo; abdomine cinerascenti-olivaceo,*

maculis minutis albis plus minus in maculas majores inæquales confluentibus vel congestis sparso; oculis mediis aream paullo latiorem postice quam antice et paullo breviorem quam latiorem postice occupantibus; oculis mediis posticis spatio diametro sua plus duplo majore a lateralibus posticis remotis; pedibus 1^{i} paris cephalothorace 6-plo longioribus; mamillis superioribus tibia 4^{i} paris paullo brevioribus, articulo earum 2° art. 1^{m} longitudine æquanti. — ♀ *jun. Long. saltem 8$^{1}/_{2}$ millim.*

Femina jun. — *Cephalothorax* tibia 4^{i} paris vix longior est, plus dimidio longior quam latior; frons plane truncata (oculis mediis anticis evidenter prominulis), latitudine $^{2}/_{3}$ latitudinis partis thoracicæ æquans. Sat altus est cephalothorax, dorso a latere viso a margine postico usque ad oculos posticos sat fortiter convexo-arcuato, area oculorum etiam fortius proclivi; nitidus est, pube tenui appressa sericea præditus, sulco centrali et impressionibus cephalicis plane carens. *Oculi* sat parvi, parum inæquales, antici posticis tamen paullo majores, laterales postici reliquis paullo minores. A fronte visa series oculorum antica modo levissime deorsum curvata est, series postica modice deorsum curvata; desuper visa series antica levissime est recurva, series postica recta vel omnium levissime recurva (non procurva). Oculi bini laterales contingentes sunt inter se; medii oculi aream postice paullo latiorem quam antice, et paullo breviorem quam latiorem postice (æque saltem longam vero ac latam antice) occupant. Oculi medii antici, spatio oculi diametrum saltem æquanti disjuncti, a lateralibus anticis plus dimidio (sed non duplo) longius quam inter se remoti sunt; oculi medii postici, qui spatio oculi diametro fere dimidio majore sunt sejuncti, a lateralibus posticis spatio etiam majore, oculi medii diametrum duplam evidenter superanti, separati sunt.

Mandibulæ pæne directæ, parallelæ, tibias 3^{ii} paris longitudine æquantes, femoribus anticis basi evidenter crassiores, saltem duplo et dimidio longiores quam latiores basi, in latere interiore secundum fere $^{2}/_{3}$ longitudinis usque ad apicem sensim angustatæ, in dorso parum convexæ. *Palpi* longi, gracillimi. *Pedes* longi et graciles, 1^{i} paris longissimi, cephalothorace 6-plo longiores. Aculeis mediocribus armati sunt pedes, aculeis præsertim in posterioribus pedibus sat crebris: femora 1^{i} paris modo 4 aculeos habere videntur, 1. 1. antice, 1. 1. postice, superius sitos; hujus paris tibiæ subter 4+3 aculeos et præterea intus 1 aculeum ostendunt, metatarsi saltem 2 aculeos versus basin et 2 versus medium. Tibiae 3^{ii} paris aculeis 1. 1. antice, 1. 1. postice, 2. subter (versus basin) munitæ sunt. Patellæ aculeis carent. Unguiculi sat longi et sat fortes, apice fortiter deflexo, præterea pæne recti; in pedibus 1^{i} paris alter unguiculorum dentibus circa 12 densis et longis pectinatus est, alter modo 8 dentibus. *Abdomen* anguste ovatum, parcius pubescens. *Mamillæ* inferiores cylindratæ, art. 1° circa dimidio longiore quam latiore, art. 2° brevissimo, obtuso. Mamillæ superiores inferioribus duplo longiores sunt, art. 1° parum longiore et paullo angustiore quam est art. 1^{s} inferiorum, cylindratus, plus dimidio, pæne duplo longior quam latior; art. 2^{s} art. 1^{m} longitudine æquat (non superat): paullulo compressus est, desuper visus art. 1° fere duplo angustior et primum, in dimidio basali, sub-cylindratus, præterea apicem versus angustatus, sub-acuminatus.

Color. — *Cephalothorax*, *mandibulæ* et *pedes* fusco-testacea sunt, mandibulæ summo apice infuscatæ, ungui piceo; pedes apicem versus, ut *sternum*, *maxillæ* et *labium*, paullo pallidiores; *palpi* pallide testacei. *Abdomen* cinerascenti-olivaceum, maculis minutis albi-

cantibus ad maximam partem in turmas vel maculas majores inæquales congestis sparsum. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. $8^1/_2$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. $2^1/_2$, lat. front. $1^1/_2$; lg. abd. $5^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Ped. I $23^1/_2$, II $12^1/_5$, III $8^1/_2$, IV 15 (pat. + tib. $4^3/_4$) millim. longi.

Exemplum singulum femineum nondum adultum et sub-corrugatum, quod supra descripsi, in insula Pulo Milu captum est (G.). — *E. insulanæ*, Thor.,[1] simillima est hæc aranea, sed vix ejusdem speciei: major videtur, pedibus anterioribus etiam longioribus, aculeis pedum crebrioribus, mamillis superioribus paullo brevioribus præsertim distinguenda. In ♀ jun. *E. insulanæ*, quam nunc sub oculis habeo, pedes 1^i paris cephalothorace modo 5-plo longiores sunt, et aculei pedum pauciores: in e. gr. tibiis 3^{ii} paris modo aculeos binos (1 utrinque, versus apicem) video. Mamillæ superiores in *E. insulana* patellà 4^i paris paullo longiores videntur, et maculæ abdominis ejus flaventes sunt, non albæ, plane eodem modo vero distributæ atque in *E. conspersa.*

12. ***E. incompta,*** N., *cephalothorace tibiam cum patella 4^i paris longitudine æquanti, sulco centrali levissimo brevi prædito, versus medium alto, cum sterno, maxillis, labio et extremitatibus pallide fusco-testaceo vel testaceo, mandibulis et apice tarsorum anteriorum sub-ferrugineis, abdomine toto cinereo-testaceo; oculis mediis posticis spatio diametro oculi circa duplo majore a lateralibus posticis remotis, oculis binis lateralibus contingentibus inter se; pedibus 1^i paris cephalothorace non 4-plo longioribus, metatarsis posterioribus apice aculeis paucis munitis, pedibus præterea vix aculeatis; mamillis superioribus patellas 4^i paris longitudine circiter æquantibus, art. 2° anguste conico, evidenter breviore quam est art. 1^s.* — ♀ *jun. Long. saltem $7^3/_4$ millim.*

Femina jun. — *Cephalothorax* æque fere longus ac tibia cum patella 4^i paris, tibiâ 1^i paris paullo longior, circa $^1/_3$ longior quam latior, utrinque anterius evidenter sinuatus, fronte truncata, latitudine pæne $^2/_3$ latitudinis partis thoracicæ æquanti. Solito altior est cephalothorax, dorso a latere viso fere a medio posteriora versus fortiter declivi sed parum convexo, et anteriora versus usque ad oculos anticos minus fortiter proclivi sed magis convexo; impressionibus cephalicis caret, sulco ordinario centrali levissimo quidem sed evidenti, lato et brevi præditus; nitidus est, lævis, pilis tenuibus saltem anterius sparsus. *Oculi* mediocres, anteriores posterioribus, quorum laterales mediis paullo minores videntur, distincte majores. A fronte visa series oculorum antica recta est, vix evidenter deorsum curvata, series postica vero modice deorsum curvata; desuper visa series antica modo leviter recurva est, series postica pæne recta, omnium levissime procurva (non recurva). Oculi bini laterales contingentes sunt inter se; oculi medii aream paullo latiorem postice quam antice, et paullo breviorem quam latiorem postice (saltem æque longam ac latam antice) occupant. Oculi medii antici spatio diametro sua paullulo majore separati sunt, a lateralibus anticis circa dimidio longius quam inter se distantes; oculi medii postici, qui spatio diametro sua fere dimidio majore sunt disjuncti, a lateralibus posticis spatio etiam paullo majore, diametro oculi medii circa duplo majore, remoti sunt. Oculi medii antici vix spatio ullo a margine clypei sejuncti. *Sternum* ovatum, pæne dimidio longius quam latius, antice truncatum, densius pilosum.

---

[1] Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, *in* Ann. del Museo Civ. di Storia Nat. di Genova, XIII (1878), p. 179.

Mandibulæ deorsum et anteriora versus directæ, parallelæ, tibiam cum dimidia patella 3^{ii} paris longitudine circiter æquantes, fere duplo et dimidio longiores quam latiores basi, femoribus anticis non parum latiores, intus saltem a medio (pæne secundum $^2/_3$ longitudinis) apicem versus sensim angustatæ, in dorso versus basin satis convexæ; nitidæ, pilis sparsæ. Unguis sat longus. *Maxillæ* circa dimidio longiores quam latiores apice, labio duplo longiores, a basi angusta apicem versus sat fortiter dilatatæ, lateribus exterioribus rectis paullo divaricantes, lateribus interioribus in labium inclinatis et rectis, ipso apice late et paullo oblique truncato et sub-rotundato, angulo exteriore rotundato, angulo interiore late et valde oblique truncato. *Labium* pæne æque latum ac longum, apicem late truncatum versus sensim parum angustatum. *Palpi*, ut videtur aculeis carentes, breves et non graciles sunt; pars patellaris plus dimidio, pæne duplo longior est quam latior, pars tibialis eà vix vel non duplo longior, saltem duplo et dimidio longior quam latior; pars tarsalis paullo incrassata internodia duo præcedentia conjuncta longitudine pæne æquat. Unguiculus gracillimus, parum curvatus, muticus. *Pedes* breves, 1^i paris cephalothorace circa $3^3/_4$ longiores; modice robusti sunt, longius pilosi; ad apicem metatarsorum posteriorum aculeos paucos breves ostendunt, præterea vix aculeati — num ita etiam in adultis? Tarsi breves scopula carent; supra ad longitudinem convexi sunt, ut sæpe in aliis junioribus (non tantum in *Stasina*, Sim.) Drassoidis et Heteropodoidis. Unguiculi fortes, apice deorsum fortiter flexo, dorso præterea pæne recto; subter dentibus ad partem longis et densis (in pedibus 1^i paris in altero unguiculo circa 16, in altero modo 8 dentes video) pectinati sunt, dentibus in pedibus posterioribus brevioribus et paucioribus. *Abdomen* angustius ovatum, pube et pilis tenuibus sericeis non densis vestitum. *Mamillæ* non longæ dicendæ; inferiores, contingentes inter se, art. 1^m crassum et subconicum habent, art. 2^m parvum, brevissimum, obtusum. Mamillæ superiores inferioribus saltem dimidio longiores sunt, patellam 4^i paris longitudine circiter æquantes: art. earum 1^s cylindratus art. 1° inferiorum vix brevior sed multo angustior est, et duplo longior quam latior, desuper visus; art. 2^s, anguste conicus, art. 1° saltem dimidio brevior est et etiam basi eo evidenter angustior.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum*, *maxillæ*, *labium*, *palpi* et *pedes* pallide fusco-testacea, tarsis saltem anterioribus apice sat late sub-ferrugineis (summo apice nigro tamen); *mandibulæ* testaceo-ferrugineæ, macula basali lateris exterioris pallidiore. *Abdomen* totum cinereo-testaceum; *mamillæ* pallide testaceæ. Cephalothorax parce et tenuiter albicanti-pubescens est, abdomen pilis pallidis conspersum; pedes pilis mollibus longioribus albicantibus saltem ad partem sub-villosi sunt.

♀ *jun.* — Lg. corp. $7^3/_4$; lg. cephaloth. pæne $2^3/_4$, lat. ej. 2, lat. front. $1^1/_4$; lg. abd. 5, lat. ej. 3 millim. Ped. I pæne 10, II $8^1/_4$, III 6, IV $8^3/_4$ (pat. + tib. $2^3/_4$) millim. longi.

Feminam singulam juniorem, in ins. Nicobare Minore captam (G.), cognovi. — Haud dubie non parum major evadit hæc species, quæ pedibus parcissime aculeatis et pedibus 1^i paris solito brevioribus notabilis videtur.

Fam. AGALENOIDÆ.

Gen. **Tegenaria** (Latr.), 1804.

13. ***T. Derhamii*** (Scop.).

Syn.: † 1758. *Aranea domestica*, Linn., Syst. Nat., Ed. 10, p. 620.
1763. » *Derhamii*, Scop., Ent. Carn., p. 400.
1871. *Tegenaria Derhamii*, Thor., Rem. on Syn., p. 157.

Mas singulus adultus hujus speciei pæne cosmopolitæ, modo $6^1/_2$ millim. longus, in ins. Nanchovry est inventus (G.). Ab exemplis masculis Europæis, quæ nunc sub oculis habeo, modo in eo differt, quod pedes 3^{ii} paris pedes 2^i paris longitudine æquantes, non iis paullo breviores, habet. Ut in exemplis illis, metatarsi tibiâ longiores sunt. Palpi plane ut in maribus Europæis sunt formati.

Fam. DICTYNOIDÆ.

Gen. **Fecenia**, Sim., 1887.

(= **Mezentia**, Thor., 1881[1]).

14. ***F. protensa***, n., *cinerascenti- vel albicanti-pilosa, cephalothorace in fundo testaceo-fusco, palpis pedibusque flavo-testaceis totis, abdomine in fundo superius cinerascenti-olivaceo, serie longa duplici macularum secundum medium dorsi notato, quarum anteriores albicantes, obliquæ et majores sunt, reliquæ nigricantes et parvæ; ventre olivaceo-virescenti, fasciis duabus longitudinalibus latis albicantibus ornato, quæ postice, paullo ante cribellum, linea procurva unitæ sunt, spatio interjecto in medio constricto; oculis mediis posticis parum longius a lateralibus posticis quam inter se remotis. — ♀ sub-adulta. Long. saltem $9^3/_4$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* tibia cum patella 4^i paris paullo brevior est, plus dimidio longior quam latior, utrinque apud (ante) coxas 1^i paris cito et fortiter sinuatus, parte thoracica non parum longiore quam latiore, lateribus antice sat fortiter, præterea leviter rotundatis etiam posteriora versus sensim paullo angustata, postice sat profunde emarginata; pars cephalica magna, præsertim longa, et, etiam quoad libera est, anteriora versus sensim paullulo dilatata, lateribus hic pæne rectis; frons rotundata est, latitudo clypei saltem $^3/_4$ latitudinis partis thoracicæ æquat. Impressiones cephalicæ distinctissimæ sunt, fovea ordinaria centralis longa, triangula, postice acuminata, longe pone medium sita. A latere visus cephalothorax antice sat altus est, anteriora versus usque ante medium partis cephalicæ sensim assurgens, hac parte modice convexa: transversim fortiter convexa est pars cephalica, clypeo directo, altitudine diametrum oculorum anticorum non parum superanti.

[1] Nomen præoccupatum: *Mezentia*, Stål (Orthopt.), 1878. Vid. Simon, Quelques Observ. sur les Arachn. (suite), in Bull. de la Soc. Ent. de France, Séance du 23 Nov. 1887, p. CXCIV. Eodem loco aliud genus, cujus nomen præoccupatum est, *Phædima*, Thor., a Cel. Simon *Paculla* vocatur. Fam. *Phædimoidas*, Thor., igitur *Paculloidas* nunc appello: vid. sup., p. 9.

Area *oculorum* saltem $^3/_4$ latitudinis frontis occupat; series oculorum duæ versus extremitates non parum inter se appropinquant. Series postica, quæ circa dupla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, desuper visa recta, vix recurva, est, a fronte visa modice deorsum curvata; a fronte visa series antica parum deorsum est curvata, desuper visa paullo recurva. Oculi medii aream occupant paullo latiorem antice quam postice; oculi bini laterales spatio sunt disjuncti, quod oculi diametro evidenter minus est et pæne duplo minus quam spatia, quibus distant oculi medii postici a mediis anticis, his spatiis oculi medii antici diametrum fere æquantibus. Oculi medii antici reliquis pæne æqualibus paullo majores sunt et spatio oculi diametro saltem dimidio majore separati: hoc spatium saltem duplo majus est quam spatia, quibus a lateralibus anticis distant medii antici, et quæ parum majora sunt quam intervallum inter oculos binos laterales. Oculi medii postici, spatio oculi diametro saltem dimidio majore sejuncti, parum longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Sternum* sub-ovatum, antice truncatum et late subemarginatum, postice sat breviter sub-acuminatum, tuberculis ad coxas parum evidentibus.

Mandibulæ directæ, pæne duplo longiores quam latiores, femoribus 1^i paris multo crassiores, patellis hujus paris vix longiores, apice intus oblique rotundato-truncatæ, in dorso sat fortiter convexæ; sulcus unguicularis antice et postice dente uno alterove parvo munitus videtur; unguis brevis. *Maxillæ* labio plus dimidio, pæne duplo longiores sunt, pæne duplo longiores quam latiores, parallelæ, in latere exteriore ad insertionem palpi sinuatæ, intus leviter concavatæ, apice late et oblique rotundatæ, angulo exteriore rotundato, angulo interiore late et oblique truncato. *Labium* paullo longius quam latius, basi angustatum, præterea lateribus rotundatis apicem sat late truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* sat fortes; pars tibialis pæne duplo longior est quam latior. *Pedes*, præsertim 1^i paris, longi, sat graciles, pilis longioribus vestiti et aculeis mediocribus non longis armati. Unguiculi tarsorum mediocres, superiores in dorso leviter convexi et dentibus sat multis (in pedibus 4^i paris circa 9) sat longis et fortibus sat dense pectinati; unguiculus inferior dentibus tribus longis sub-curvatis pectinatus est. Pili fasciculorum unguicularium apice non vel parum incrassati. *Calamistrum* longum, usque a basi metatarsi 4^i paris pæne ad apicem ejus pertinens, e pilis brevibus densis formatum. *Abdomen* anguste cylindrato-ovatum, plus duplo longius quam latius, mamillis apicalibus. Loco *vulvæ* maculam parvam quadratam corneam obscuriorem video. *Cribellum*, quod indivisum est, vittam transversam angustam longissimam, modo in medio postice paullo angulatam, præterea rectam et æqualem format. *Mamillæ* inferiores conicæ, crassæ, art. 1° paullo longiore quam latiore et duplo crassiore quam est art. 1^s superiorum, art. 2° vero parvo, obtuso. Mamillæ superiores inferioribus vix longiores sunt, art. 1° sub-cylindrato et pæne duplo longiore quam latiore, art. 2° sub-conico et æque saltem longo ac lato.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-fuscus, sat dense cinerascenti-pubescens; *mandibulæ* pallide testaceo-fuscæ, pallido-pilosæ; *sternum*, *maxillæ*, *labium* (basi nigricans) testacea sunt, *palpi* et *pedes* flavo-testacei, immaculati, longius albicanti-pilosi, pedes aculeis paucioribus fuscis armati. *Abdomen* supra et in lateribus pallide vel cinerascenti-olivaceum est, pilis longioribus cinerascentibus minus dense vestitum, subter magis olivaceo-virescens. Secundum medium totius dorsi extensi sunt ordines duo macularum saltem a medio ad anum sensim appropinquantes et hic inter se uniti, quarum macularum anteriores duæ vel

tres (utrinque) majores, inæquales, obliquæ et albicantes vel flaventes sunt, reliquæ parvæ et nigricantes: anteriores harum macularum nigricantium vitta vel macula transversa minus distincta albicanti vel flaventi binæ conjunctæ videntur. In utroque latere abdominis, inferius, maculæ duæ albicantes conspiciuntur, altera, antice sita, major, altera, in medio lateris locata, longitudinalis et minor. Venter utrinque fasciam longitudinalem latam paullo inæqualem albicantem ostendit, quæ fasciæ postice abbreviatæ sunt et hic, paullo ante cribellum, linea procurva albicanti conjunctæ: etiam antice, ad rimam genitalem, linea transversa albicanti sed recta unitæ sunt hæ fasciæ; spatium obscurum inter eas in medio constrictum est, anguste X-forme fere. Cribellum lineam transversam pallidam format. *Mamillæ* flavo-testaceæ, inferiores macula nigricanti ad basin, subter, notatæ.

Lg. corp. $9^3/_4$ millim.; lg. cephaloth. $3^3/_4$, lat. ej. $2^1/_3$, lat. front. 2; lg. abd. 6, lat. ej. $2^4/_5$ millim. Ped. I 22 (fem. $5^1/_2$, pat. $1^1/_2$, tib. $6^1/_3$, metat. $5^1/_3$, tars. 3), II 13, III 8, IV 12 (pat. + tib. 4) millim. longi.

Femina singula supra descripta, detrita et fortasse nondum adulta, in ins. Nanchovry inventa est (G.).

A specie typica gen. *Feceniæ* sive *Mezentiæ*, *F.* (*M.*) *angustata*, Thor.,[1] hæc aranea satis differt, non tantum colore alio, verum etiam spatiis inter oculos posticos pæne æqualibus, unguiculo inferiore pedum dentibus tribus pectinato, cet.

Trib. **Retitelariæ.**

Fam. **Scytodoidæ.**

Gen. **Dictis**, L. Koch, 1872.

15. ***D. fumida***, n., *cephalothorace rufescenti vel testaceo-nigricanti, linea media longitudinali recta nigra pallido-marginata et lineis duabus tenuibus sub-undulatis nigris ab oculis lateralibus posticis retro ductis notato, spatiis inter has duas lineas et margines laterales nigros interdum crasse nigro-reticulatis vel in areas obliquas pallidiores divisis; oculis mediis laterales oculos vix magnitudine æquantibus; pedibus albicanti-testaceis, interdum plus minus obsolete nigricanti-annulatis (non vero nigro-lineatis), femoribus saltem versus basin nigricantibus, pedibus 1^i paris cephalothorace saltem 4-plo longioribus; abdomine paullo longiore quam latiore, nigricanti vel nigro, interdum vittis transversis inæqualibus pallidis plus minus evidentibus cincto. — ♀ ad. Long. circa $4^1/_2$ millim.*

Femina. — *Cephalothoraxæ* formâ in hoc genere ordinariâ, breviter et inverse ovatus, postice altissimus et præruptus, brevior quam tibia cum patella 4^i paris, latitudine circa $^3/_4$ longitudinis æquanti, granulis minutis in series dispositis et pilum breviorem sub-erectum gerentibus saltem antice munitus, præterea lævis; utrinque apud (ante) oculos laterales anticos subito constrictus et depressus est, parte antica parva sub-porrecta pæne rectangula $^1/_3$ latitudinis maximæ cephalothoracis latitudine parum superanti, pæne triplo latiore quam longiore, antice late et leviter emarginata, angulis rotundatis et paullo in-

[1] Studi, cet., III, Ragni dell' Austro-malesia, cet., loc. cit., p. 204.

flatis. Spatium inter *oculos* medios et marginem clypei eorum diametro (longitudinali) paullo, vix dimidio, majus est: ab angulis frontalibus non parum longius quam a margine clypei distant hi oculi, qui contingentes sunt inter se et parum longiores quam latiores videntur. Oculi bini laterales, tuberculo forti extus impositi, ii quoque contingentes sunt inter se, oblongi et oculis mediis parum majores. Spatium inter oculos duos laterales posticos circa duplo et dimidio majus est quam spatia, quibus oculi medii a lateralibus anticis distant, his spatiis oculi lateralis antici diametro (longiore) paullo plus duplo majoribus. *Sternum* pæne duplo longius quam latius, planum, tuberculis 8 sat fortibus apud coxas munitum, impressione media carens.

Mandibulæ, femora antica crassitie æquantes, pæne duplo longiores quam latiores sunt, palporum parte tibiali non parum longiores, a basi ad apicem sensim paullulo angustatæ, in dorso leviter convexæ, læves et nitidæ; unguis omnium brevissimus. *Maxillæ* in labium fortiter inclinatæ, in latere exteriore leviter et late sinuatæ, basi extus dilatatæ, circa duplo longiores quam latiores, labio plus dimidio, pæne duplo longiores, apice ad longitudinem truncatæ. *Labium*, sulco forti transverso a sterno divisum, circa æque longum est ac latum basi, a basi ad apicem sat late truncatum lateribus rectis sensim paullo angustatum, et in medio ad utrumque marginem lateralem impressione parva præditum. *Palpi* breves, parte patellari vix dimidio longiore quam latiore; pars tibialis cylindrata eà circa dimidio longior est et pæne duplo longior quam latior; pars tarsalis, multo angustior et acuminata, partes duas priores conjunctas longitudine pæne æquat. Loco unguiculi apex palpi setis duabus fortissimis vel quasi aculeis duobus pæne cylindratis, modo versus apicem rotundatum sensim paullo angustatis et paullo deorsum curvatis est munitus, ipso apice horum aculeorum levissime quidem sed evidenter incrassato. *Pedes* mediocres, gracillimi, 1^{i} paris cephalothorace circa $4^{1}/_{2}$ longiores: læves sunt, parcius pilosi, in apice metatarsorum (posteriorum) aculeis paucis minutis præditi, præterea inermes. Articulus tarsorum unguiculigerus sat longus. Unguiculi bini sat magni, satis æqualiter curvati, et secundum pæne totam longitudinem dentibus nonnullis acuminatis sat longis pectinati. *Abdomen* paullo longius quam latius. Paullo pone rimam genitalem areas duas parvas rotundatas pallidas video, quæ suo quæque annulo sub-angulato (interdum extus aperto) fusco limitantur, et quæ spatio diametrum suam saltem æquanti separatæ sunt.

Color. — *Cephalothorax* fuligineus vel rufescenti-niger (in junioribus nigricanti-testaceus), linea media tenui recta nigra pallido-marginata, ab oculis mediis retro ducta, postice abbreviata et hic lineolà pallidà continuata notatus. Præterea utrinque lineam tenuem immo tenuissimam sub-undulatam nigram, ab oculis binis lateralibus retro ductam ostendit: spatia inter has duas lineas et cephalothoracis margines laterales nigros interdum (saltem in junioribus) plus minus evidenter lineolis paucis transversis nigris, sæpe extus sive infra furcatis, in areas vel maculas nonnullas inæquales divisa sunt, his maculis aut fascias paucas latas obliquas in utroque latere formantibus, aut in binas series longitudinales dispositis, maculis serici superioris reliquis majoribus, oblongis et oblique deorsum et anteriora versus directis. *Sternum* fuligineum, interdum pallido-maculatum. *Mandibulæ* fuligineæ vel nigricantes, apice pallidæ; *maxillæ* et *labium* fuliginea vel nigricanti-testacea. *Palpi* ejusdem coloris, parte patellari sæpe et parte tarsali saltem apice late pallidis. *Pedes* pallide sive albicanti-testacei, *non* nigro-lineati, femoribus totis vel saltem basi nigricantibus,

et coxis trochanteribusque apice plus minus late nigricantibus vel nigricanti-maculatis; in junioribus femora evidenter pallido-annulata sunt. Tibiæ interdum (præsertim in junioribus) apice, basi et medio sat anguste nigricantes vel nigro-maculatæ sunt, et metatarsi basi angustissime nigricantes. *Abdomen* fuligineum vel nigricans, vestigiis in dorso vittarum transversarum inæqualium pallidarum, quæ deorsum in latera et ventrem oblique continuantur: in junioribus hæ vittæ distinctissimæ sunt, in parte dorsi posteriore antice paullo angulatim fractæ vel bis abruptæ.

Lg. corp. $4^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. 2, lat. ej. pæne $1^1/_2$, lat. clypei circa $^3/_4$; lg. abd. $2^1/_2$, lat. ej. circa 2 millim. Ped. I $8^2/_3$, II $7^1/_2$, III $5^1/_3$, IV $7^1/_2$ (pat. + tib. pæne $2^1/_2$) millim. longi.

Exempla paucissima feminea valde mutilata examinavi, in insula, quæ Kar Nicobar vocatur, capta (G.). Museum Hauniense præterea feminam ex Assam (»WESTERMANN» signatam) mecum communicavit, quæ hujus speciei videtur: abdomen ejus totum nigrum est, femora vero modo leviter basin versus infuscata. In exemplo adulto altero, ad Singapore a Cel. WORKMAN capto, femora tota nigricantia sunt, internodia insequentia sordide testacea, saltem tibiæ paullo nigro-annulatæ; cephalothorax utrinque series longitudinales illas duas macularum pallidarum distinctissimas habet, quas in exemplis Nicobarensibus saltem junioribus video, quarum contra nullum vestigium in exemplo ex Assam cerno.

Num eadem est hæc species ac *Scytodes domestica*, DOL. [1], ex Amboina?

Fam. **Theridioidæ.**

Gen. **Argyrodes** (SIM.), 1864.

16. ***A. fissifrons***, CAMBR., *Var.* ***Terressæ***, N., *cephalothorace sub-fusco, secundum medium clariore, pedibus testaceo-ferrugineis, tibiis et femoribus apice paullo infuscatis; serie oculorum antica a fronte visa recta, serie postica desuper visa levissime recurva; area oculorum mediorum sub-transversa, vix latiore postice quam longiore, oculis mediis anticis vix vel parum longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; abdomine supra mamillas retro (et sursum) producto, utrinque versus medium partis retro productæ tuberculo humili munito, supra et in lateribus ad maximam partem sub-argenteo vel aureo, fascia media longitudinali obscuriore, quæ ut linea tenuis retro continuatur, in dorso notato, in lateribus vero vittis transversis obliquis binis argenteis postice nigro-limbatis (vel nigris et antice argenteo-limbatis) ornato, quarum anterior, deorsum versus mamillas et paullo retro ducta, procurva vel ∽-formis est, altera, in parte abdominis postica, ad tuberculum ejus, sita, multo brevior, deorsum et anteriora versus directa; vulva e tuberculo sat magno rotundato nigro constanti, quod anterius foveam magnam paullo transversam postice rotundatam (et hic in fundo foveolis duabus levissimis notatam?), antice parum profundam et paullo inæqualem (septo medio non persectam) ostendit. — ♀ ad. Long. circa $7^2/_3$ millim.*

[1] Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 48, Tab. VI, fig. 1.

Syn.: 1869. *Argyrodes fissifrons*, Camb., Part. I of Catal. . . . of Ceylon Aran., *cet.*, *in* The Linn. Soc. Journ., Zool., X, p. 380, Pl. XII, figg. 31—38 (= *forma princip*).
1878. » » , Thor., Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 146 (= *forma princip*).

Lg. corp. $7^2/_3$ millim. Lg. cephaloth. $2^1/_2$, lat. ej. pæne $1^1/_2$, lat. front. circa $^3/_4$; lg. abd. $5^3/_4$, lat. ej. $2^1/_4$, alt. (dist. a mamillis ad apicem posticum abdominis) $4^1/_2$ millim. Ped. I $22^1/_2$, II $13^1/_3$, III $8^3/_4$, IV pæne 16 (pat. + tib. $4^3/_4$) millim. longi.

Specimina duo feminea hujus formæ in insula Terressa inventa sunt (G.). In altero eorum mutilato et ovis repleto, procursus abdominis posticus multo brevior est quam in exemplo dimenso (quod in spatio inter mamillas et apicem dorsi lineam mediam longitudinalem nigram et quattuor maculas albicantes ostendit, duas paullo supra mamillas locatas, duas ad basin procursus apicalis abdominis, et multo longius inter se remotas); abdominis dorsum, loco fasciæ mediæ fuscæ, lineis duabus parallelis nigris postice abbreviatis et in medio abruptis est notatum; maculis illis 4 albis inter mamillas et apicem dorsi caret hoc exemplum. Fovea vulvæ ejus postice magis profunda et rotundata est, antice truncata: in fundo ejus antice costas duas longitudinales minutas video, sulco tenuissimo separatas.

Ab exemplis *A. fissifrontis*, ex Amboina, hæc specimina vix certo nisi eo dignosci possunt, quod seriem oculorum posticam levissime recurvam, non plane rectam, habent, et foveam vulvæ septo medio carentem. Nonne igitur modo varietatis *A. fissifrontis* habenda sunt?

Trib. **Orbitelariæ.**

Fam. **Uloboroidæ.**

Gen. **Uloborus,** Latr., 1806.

17. ***U. modestus,*** n., *cephalothorace, partibus oris et extremitatibus flavo-testaceis, pedibus parum evidenter fusco- et nigro-annulatis; oculis in duas series, apicibus modo paullo divaricantes, dispositis, quarum anterior posteriore longior est et sat fortiter deorsum curvata, posterior (ut anterior) sat leviter recurva; oculis lateralibus posticis vix vel parum longius a mediis posticis remotis, quam sunt hi inter se; oculis mediis aream non parum longiorem quam latiorem et paullo latiorem postice quam antice occupantibus, mediis anticis, reliquos oculos magnitudine superantibus, spatio multo majore a lateralibus anticis quam inter se separatis; abdomine sub-ovato, anterius altiori et paullo ante medium sub-gibboso, supra et in lateribus virescenti- vel testaceo-albicanti. — ♀ ad. Long. circa $3^1/_2$ millim.*

Femina. — *Cephalothoraæ*, tibiâ cum patella 4^i paris paullulo longior et circa dimidio longior quam latior, inverse ovatus fere est, in lateribus partis thoracicæ sat fortiter rotundatus, utrinque antice modice sinuatus, frontis latitudine dimidiam partis thoracicæ latitudinem superanti; dense pilosus est, impressionibus cephalicis distinctissimis, fovea ordinaria centrali magna. Area *oculorum* circa duplo latior est quam longior; series duæ oculorum apicibus paullo divaricant; series antica serie postica non parum longior est. A fronte visa series antica fortiter, postica minus fortiter deorsum curvata est; desuper

visa utraque series sat leviter est recurva. Oculi medii, quorum antici, tuberculo forti prominenti impositi, reliquis oculis multo sunt majores, aream non parum longiorem quam latiorem et paullo latiorem postice quam antice occupant. Oculi laterales bini spatio paullo majore sunt separati, quam quibus distant medii antici a mediis posticis. Oculi medii antici spatio diametro sua vix vel non majore sejuncti sunt: a lateralibus anticis intervallis fere duplo majoribus, quam quo inter se distant, sunt remoti. Oculi 4 postici spatiis pæne æqualibus, oculi diametro paullo majoribus, disjuncti sunt. Spatia inter oculos medios anticos et posticos oculi postici diametro fere duplo sunt majora. Oculi antici, tum medii quum laterales, a margine clypei spatio diametrum suam circiter æquanti remoti sunt. *Sternum* sub-ellipticum, circa dimidio longius quam latius.

Mandibulæ directæ, circa duplo longiores quam latiores. *Maxillæ* porrectæ, vix longiores quam latiores, apice late truncatæ. *Labium* maxillis duplo brevius, paullo latius basi quam longius, triangulum. *Pedes* sat breves, pubescentes, paullo pilosi et aculeis brevibus (ut videtur parce) sparsi. Metatarsi 4^i paris, superius compressi et versus basin leviter concavato-curvati, *calamistro* longissimo præditi sunt. *Abdomen* antice non parum altius est quam posterius, paullo ante medium gibbo sub-transverso parum evidenti munitum; desuper visum duplo longius quam latius est, pæne ovatum, antice rotundatum, posteriora versus saltem ad $^1/_3$ longitudinis sensim modice dilatatum, dein lateribus primum sub-rotundatis, denique vero amplissime et levissime sinuatis posteriora versus (primum fortius, tum levius) angustatum, apice sat late rotundato. A latere visum dorsum abdominis antice altum posteriora versus non æqualiter declive est, sed primum pæne libratum et parum convexum, dein, in parte posteriore paullo longiore, secundum lineam pæne rectam vel paullo concavatam sat fortiter declive; inter apicem dorsi et mamillas (spatio sat brevi) paullo oblique truncatum est. *Cribellum* latum, brevissimum, rectum, indivisum. *Vulva* ex fovea magna nigricanti constare videtur. *Mamillæ* sat longæ, crassæ.

Color. — *Cephalothorax* flavo-testaceus est, *partes oris* et *extremitates* flavo-testaceæ quoque, *sternum* parum obscurius, marginibus nigricantibus; in omnibus pedibus metatarsi et tarsi apice anguste infuscati sunt, tibiæ 1^i paris basi et apice latius sed parum evidenter infuscatæ; tibiæ et metatarsi posteriores, præsertim 4^i paris, apice anguste sed distinctissime nigri sunt, vel macula nigra apice notati. Cephalothorax pilis sat crassis albis est vestitus, pedes albo-pubescentes et -pilosi. *Abdomen* supra totum virescenti- vel flaventi-album est, summo apice sub-luteo; in medio antice lineam tenuem longitudinalem subfuscam et utrinque paullo ramosam ostendit. Latera abdominis eodem colore, modo paullo obscuriore, sunt, sordide virescenti-albicantia; venter secundum medium etiam obscurior, sordide albicanti-fuscus; vulva et *mamillæ* testaceæ.

Lg. corp. $3^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. circa $1^1/_2$, lat. ej. pæne 1; lg. abd. pæne $2^1/_2$, lat. ej. circa $1^1/_3$ millim. Ped. I $6^1/_4$, II circa 4, III circa $3^1/_6$, IV circa $4^1/_3$ (pat. + tib. paullo plus $1^1/_3$) millim. longi.

Feminam singulam parvæ hujus speciei vidi, in ins. Nanchovry captam (G.).

Fam. **Miagrammopoidæ.**

Gen. **Miagrammopes,** Cambr., 1869.

18. ***M. albo-maculatus,*** n., *nigricans, cinerascenti-pubescens et, in dorso abdominis, paullo rufescenti-pubescens quoque, pedibus posterioribus pallidioribus et paullo nigro-annulatis, metatarsis 1i paris supra et subter pilis longis densis luteis plumatis; abdomine sub-cylindrato, circa quadruplo longiore quam latiore, supra nigricanti et maculis fasciisve brevibus obliquis quattuor albis in rectangulum longius quam latius dispositis ornato, quarum anteriores foras et anteriora versus, posteriores foras et retro directæ sunt; ventre pallidiore, ante aream analem nigricantem lineis duabus parallelis nigris secundum medium notato. — ♀ jun. Long. circa 7 millim.*

Femina jun. — *M. Ferdinandi*, Cambr.[1], ex Taprobane (Ceylon), hæc species valde similis videtur, abdomine aliter formato (in lateribus æqualiter et levissime rotundato, tuberculis obliquis utrinque in dorso vix evidentibus) saltem ab eo differens. — *Cephalothorax*, cujus latera ample rotundata fortiter deflexa sunt, desuper visus dimidio longior est quam latior, postice truncatus, lateribus rectis anteriora versus pæne usque ad oculos sensim paullo dilatatus, dein paullo fortius dilatatus, in medio antice, supra mandibulas, ad lineam rectam truncatus, angulis late et oblique truncatis; dorsum ejus rectum est; impressionem magnam pone oculos utriusque lateris ostendit; fovea ordinaria centralis parva est, parum profunda. *Oculi*, quorum laterales mediis non majores sunt, in seriem parum recurvam sunt dispositi; medii eorum pæne duplo longius inter se quam a lateralibus distant; spatium, quo oculi laterales a margine cephalothoracis proximo sunt remoti, horum oculorum diametrum pæne æquat. *Sternum* parum evidens: pars inferior cephalothoracis pæne tota ab acetabulis pedum 6 posteriorum occupatur.

Mandibulæ pæne duplo longiores quam latiores, intus a medio ad apicem sensim sat fortiter angustatæ. Partes *palporum* patellaris et tibialis desuper visæ pæne eadem longitudine sunt, hæc fere quadrata; pars tarsalis saltem dimidio longior est quam latior, partibus patellari et tibiali conjunctis modo paullo brevior. *Pedes* 1i paris fortes et sat longi, metatarsis levissime deorsum curvatis et versus apicem sensim paullo angustatis, supra et subter plumato-pilosis; pedes 2i paris graciles sunt, ut pedes 3ii paris; pedes 4i paris paullo fortiores, tibia et metatarso compressis, hoc lato, supra sinuato et a basi pæne usque ad apicem *calamistro* denso et lato munito, et in margine inferiore serie densa pilorum brevium latiorum sub-lanceolatorum prædito. *Abdomen* cephalothorace plus duplo longius est et fere quadruplo longius quam latius, pæne cylindratum, a latere visum antice paullo oblique truncatum, postice vix oblique truncatum (in exemplo singulo a me viso anterius paullo deorsum curvatum, ita ut dorsum a latere visum non rectum sit sed anterius convexum), mamillis apicalibus; desuper visum antice truncatum est, in lateribus modo levissime rotundatum, apice breviter angustatum, ipso apice obtuso et pilis brevibus densis munitum, quæ fasciculos duos breves obtusos in apice dorsi formant. Hypopygium longum, ex duobus articulis constans. *Cribellum* transversum, brevissimum, indivisum.

[1] Descr. and sketches of two new spec. of Arau., with Charact. of a new genus, *in* the Linn. Soc. Journ., Zool., X, p. 404, Pl. XIV, fig. 13—15.

Color. — *Cephalothorax* nigricans, oculis nigris: ut pedes et reliquum corpus pæne totum pube sat densa albo-cinerascenti vestitus est. *Sternum* et *palpi* sordide testacea. *Mandibulæ* testaceæ. *Pedes* 1[i] paris nigricantes, metatarsis pilis longis densis sub-erectis luteis supra et subter plumatis, tarsis sub-ferrugineis; pedes 2[i] paris paullo clarius nigricantes vel testaceo-nigri sunt, reliqui pedes sordide et obscure testacei et paullo nigro-annulati. *Abdomen* in fundo nigricans, maculis 4 obliquis albis in rectangulum longius quam latius dispositis superius ornatum; anteriores harum macularum, non parum ante medium dorsi locatæ, anteriora versus et foras directæ sunt (in lateribus deorsum et retro continuatæ?), posteriores duæ, retro et foras directæ et longius deorsum in latera productæ, non parum pone medium dorsi locum tenent. Venter nigricanti-testaceus, area apicali nigricanti; ante eam lineis duabus longis parallelis nigris secundum medium notatus est. In dorso setis omnium brevissimis sub-erectis fuscis parce sparsum est abdomen, et pube cinerascenti, intermixta rufa, vestitum; in ipso apice dorsi pilis brevioribus luteis munitum est, præterea, ut cephalothorax et pedes, pube appressa brevi sat densa cinerascenti vestitum.

Lg. corp. 7 millim. Lg. cephaloth. 2, lat. ej. $1^1/_3$; lg. abd. 5, lat. ej. pæne $1^1/_2$ millim. Ped. I $9^1/_2$, II pæne 5, III $3^1/_3$, IV $6^1/_2$ (pat. + tib. $2^5/_6$) millim. longi.

Femina singula, quæ nondum adulta videtur, in. ins. Nicobare Minore capta est (G.).

Fam. **Tetragnathoidæ.**

Gen. **Tetragnatha** (Latr.), 1804.

19. ***T. mandibulata,*** Walck.

Syn.: 1841. *Tetragnatha mandibulata*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 211.
1877. » *minatoria*, Sim., Arachn. recueillis aux îles Philippines, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 5 Ser., VIII, (1877), p. 83.
1877. » *leptognatha*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni de Selebes, *cet.*, loc. cit., p. 441 (101).

Museum Zoologicum Hanniense exempla nonnulla hujus araneæ ex Nicobarum insulis (Sambelong, Kamorta, Nanchovry et Nicobare Minore) obtinuit (G.). Ceterum in insulis Mariannes dictis (Guam et Agrigan), in locis diversis Indo- et Austro-malesiæ, in ins. Philippinis, in Birmania et in Siam inventa fuit.

In opusculo, quod his ultimis diebus obtinui [1], Cel. Simon *T. minatoriam* suam eandem speciem ac *T. mandibulatam*, Walck., pronuntiavit; species, quam *T. mandibulatam* apellaverunt L. Koch et Keyserling, et quam eandem ac *T. mandibulatam*, Thor.[2], credo, a Simon novo nomine *T. Keyserlingii* vocatur.

20. ***T. delumbis,*** n., *cephalothorace et mandibulis ferrugineo- vel rufescenti-fuscis; serie oculorum postica leviter recurva seriem anticam a fronte visam pæne rectam longitudine saltem æquanti, oculis mediis posticis non longius a lateralibus posticis quam inter se remotis, oculis lateralibus binis spatio paullo minore sejunctis, quam quo distant medii antici a mediis posticis, oculis mediis aream æque longam ac latam postice paulluloque latiorem*

[1] Études Arachnologiques. 22e Mém. XXXVI. Arachn. recueillis aux îles Mariannes par M. A. Marche, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, Ser. 6, vol. X, (1890), p. 134 (58).
[2] Studi, *cet.*, IV, Ragni dell' Indo-malesia, *cet.*, I, loc. cit., p. 221.

postice quam antice occupantibus; mandibulis cephalothorace brevioribus, in latere exteriore pæne rectis, basi et apice angustioribus quam in medio, in apice extus spina porrecta armatis et pone eam, in utroque margine sulci unguicularis, ordine dentium sensim decrescentium circa 10, quorum anteriores sat magni sunt, nullo horum dentium spatio reliquis spatiis multo majore a dentibus sibi proximis remoto; ungui ad basin extus, supra, dente munito, subter in medio granulis parvis duobus; pedibus fuscis vel fusco-testaceis, paullo nigro-annulatis; abdomine sub-cylindrato, cinerascenti, linea nigricanti undulata postice in maculas abrupta secundum latera dorsi notato et inter eas, antice, ordinibus duobus brevibus macularum nigrarum foras curvatarum. — ♀ ad. Long. circa $9^1/_4$ millim.

Femina. — *Cephalothorax* tibia 4ⁱ paris multo brevior est, pæne duplo longior quam latior, antice utrinque leviter sinuatus, lateribus partis thoracicæ æqualiter et sat leviter rotundatis, parte cephalica sat brevi lateribus pæne rectis anteriora versus sensim non parum angustata, latitudine frontis dimidiam latitudinem partis thoracicæ parum superanti. Tuberculum oculorum mediorum truncatum est et sat fortiter prominet; utrinque apud hoc tuberculum transversim truncata est frons. Dorsum, a latere visum, ante declivitatem posticam brevem et superius convexam non convexum, sed totum paullulo concavatum est. Impressiones cephalicæ distinctæ; fovea centralis non ita magna sed profunda, rotundata, quasi ex foveolis duabus incurvis formata. *Oculi* ad magnitudinem parum inter se discrepant. Series eorum antica æque longa est ac series postica, vel saltem eâ non longior; a fronte visa series antica recta est, series postica levissime deorsum curvata; desuper visa series postica modo leviter, series antica non parum fortius est recurva. Oculi bini laterales spatio sunt separati, quod eorum diametro circiter æquat, et evidenter minus est quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis, his spatiis oculi diametro evidentissime majoribus. Oculi medii aream occupant, quæ pæne quadrata est: parum latior est postice quam antice, et æque longa ac lata postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro parum majus est; a lateralibus anticis modo paullo (vix dimidio) longius quam inter se distant hi oculi. Oculi medii postici spatio diametro sua evidenter paullo majore sunt sejuncti; a lateralibus posticis pæne æque longe ac (non longius quam) inter se remoti sunt. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro vix vel non majus est, et evidenter minus quam spatia inter oculos medios anticos et posticos.

Mandibulæ cephalothorace non parum breviores, graciles, deorsum et anteriora versus directæ, modice divaricantes, in latere interiore ad longitudinem sat leviter rotundatæ, in exteriore latere pæne rectæ (parum foras curvatæ); apice et basi non parum angustiores sunt quam in medio. In ipso apice extus, ad basin unguis, spina longiore porrecta compressa sensim æqualiter angustato-acuminata armatæ sunt, quam sequitur, in margine inferiore sulci unguicularis, series dentium circa 10 magnitudine satis æqualiter decrescentium, quorum 4 anteriores spatiis majoribus, reliqui spatiis parvis disjuncti sunt, et quorum præsertim duo primi magni sunt (primus prope apicem mandibulæ situs), ultimi minuti. In margine superiore seriem dentium ejusmodi circa 9 ostendit sulcus unguicularis, quorum anteriores 5, spatiis paullo majoribus separati, magni sunt, dentibus primis marginis inferioris sulci vix minores: primus horum dentium æque longe ac dens primus marginis inferioris ab apice mandibulæ distat. Unguis mandibulâ non parum brevior,

modo leviter sinuatus, ad ipsam basin extus, superius, dente parvo sed distinctissimo armatus; subter dente vel tuberculo caret, ibi in medio granulis duobus minutis præditus. *Maxillæ* et *labium* forma sunt ordinaria. *Pedes* graciles, aculeis sat multis gracilibus non longis armati; tibia 1i paris patellâ 7—8:plo longior est. *Abdomen* longum et sub-cylindratum, circa 4:plo longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, albo-pubescens; *sternum* testaceo-fuscum. *Mandibulæ* fusco-rufescentes; *maxillæ* piceæ, fascia longitudinali flava; *labium* nigrum, pallido-marginatum. *Palpi* testacei, apice infuscati. *Pedes* anteriores basi fusco-testacei, apicem versus sensim infuscati, apice saltem femorum et tibiarum sat anguste nigro, tarsis in medio testaceis; etiam metatarsi pedum anteriorum annulum sub-testaceum versus apicem ostendunt. Pedes posteriores magis testacei sunt, apice femorum, patellarum, tibiarum et metatarsorum anguste nigro; tibiæ et metatarsi saltem 3ii paris præterea annulo medio nigro cinguntur. Aculei pedum cinerascenti-pubescentium fusci plerumque puncto nigro impositi sunt. *Abdomen* supra cinereum est, pallido-pubescens, linea longitudinali media tenui nigra posterius; in utroque latere dorsi alia linea nigra, secundum totam longitudinem ejus extensa, est notatum, quæ anterius tenuis et undulata est, postice in maculas majores divulsa; antice inter has lineas, prope basin dorsi, series duæ longitudinales breves parallelæ macularum vel lineolarum nigrarum brevium paullo foras curvatarum conspiciuntur, quarum duæ primæ antice, ad ipsam basin dorsi, cum apice antico linearum illarum lateralium conjunctæ sunt. Latera abdominis fascia longitudinali inæquali nigra sunt notata; venter cinerascens est, apice nigrum, et striis maculisve duabus oblongis parallelis nigris ante aperturam sexualem notatus. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

Lg. corp. $9^1/_4$ millim. Lg. cephaloth. 3, lat. ej. $1^4/_5$, lat. front. 1 millim.; lg. abd. pæne 7, lat. ej. pæne 2 millim. Mandib. $2^1/_2$ millim. longæ. Ped. I $29^1/_2$, II 17, III $8^1/_2$, IV $18^1/_4$ (pat. + tib. $5^1/_4$, tib. $4^1/_4$) millim. longi.

Femïnam singulam vidi, in ins. Nicobare Minore capta. — *T. demissæ*, L. Koch [1], affinis videtur, colore alio, serie oculorum antica vix deorsum curvata, mandibulis basi angustioribus quam in medio, abdomine magis cylindrato, non gibboso, cet., ab ea differens.

21. ***T. parvula,*** N., *flavo-testacea, parte cephalica interdum infuscata, pedum internodiis saltem ultimis apice infuscatis, abdomine cylindrato, cinerascenti-fusco, superius maculis minutis argenteo-albis densissime consperso, mamillis apicalibus; oculis sat magnis, confertis, serie eorum postica leviter recurva seriem anticam, quæ a fronte visa recta est, longitudine saltem æquanti, oculis mediis plane in quadratum dispositis, mediis posticis non longius a lateralibus posticis quam inter se remotis, oculis lateralibus binis spatio minore sejunctis, quam quo distant medii antici a mediis posticis; mandibulis* maris *longis et sat gracilibus, cephalothorace paullo brevioribus, foras curvatis, a basi angusta ad circa* $^2/_3$ *longitudinis sensim paullo incrassatis, ad apicem supra spina procurva apice breviter bifida armatis, præterea in ipso apice inermibus, dentibus marginis inferioris sulci unguicularis circa 9, 1° eorum magis infra posito, fortiori et spatio non parum majore a 2° remoto, quam quo distant reliqui dentes inter se, serie marginis superioris curvata, dentibus tribus primis*

[1] Die Arachn. Austral., pp. 171 et 185, Tab. XVI, figg. 1—1b.

magnis (2° longissimo) et spatiis magnis inter se remotis, ungui mandibulæ inermi; mandibulis feminæ *pæne parallelis, cylindrato-ovatis fere, cephalothorace duplo brevioribus, saltem duplo longioribus quam latioribus, crassitie femora multo superantibus, dentibus marginum sulci unguicularis 9 vel paucioribus, mediocris magnitudinis et sensim decrescentibus, dentibus marginis inferioris densis, dentibus duobus primis marginis superioris (majoribus et æqualibus) spatio insequentibus spatiis duplo majore disjunctis. — ♂ ♀ ad. Long. 6—6$^1/_2$ millim.*

Mas. — *Cephalothorax*, nitidus et pæne glaber, $^3/_4$ tibiæ 4^i paris longitudine paullo superat; duplo longior quam latior est, utrinque anterius modice sinuatus, utrinque in medio rotundatus, lateribus tum pæne rectis posteriora versus sensim paullo angustatus, parte cephalica lateribus pæne rectis anteriora versus sensim paullo angustata quoque; postice paullo angustior est quam antice. Frons latitudine dimidiam partis thoracicæ latitudinem paullo superat; sat fortiter rotundata est, tuberculo oculorum mediorum anticorum truncato non parum prominenti; oculi laterales prominuli quoque. A latere visum dorsum cephalothoracis ante declivitatem posticam brevem primum rectum et libratum est, dein, in parte cephalica, usque ad oculos sensim paullo assurgens et rectum. Impressiones cephalicæ fortes, fovea ordinaria centralis non magna sed profunda, rotundata, quasi e duabus foveolis formata. *Oculi* conferti; oculi medii antici reliquis paullo majores sunt, laterales antici reliquis minores. Series oculorum postica serie antica vix vel parum longior; a fronte visa series antica recta est, series postica paullo deorsum curvata; desuper visa series antica sat fortiter, postica modo leviter est recurva. Oculi medii aream ut mihi videtur plane quadratam occupant. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro evidenter minus est: a lateralibus anticis spatio paullo majore, diametrum suam circiter æquanti, distant hi oculi. Spatium inter oculos medios posticos, eorum diametrum fere æquans, paullulo majus est quam spatia, quibus a lateralibus posticis remoti sunt medii postici. Oculi medii antici a mediis posticis æque longe atque hi inter se distant; spatium inter oculos binos laterales oculi minoris (anterioris) diametrum pæne æquat, et evidenter minus est quam spatia inter oculos medios anticos et posticos. *Sternum* fere duplo longius quam latius, posteriora versus angustatum, antice truncatum, postice, ad coxas 4^i paris, obtusum et utrinque paullulo elevatum, e marginibus lateralibus procursus angustos sursum, inter coxas, ad cephalothoracem emittens; leviter convexum est, læve et nitidum, pæne glabrum.

Mandibulæ cephalothorace paullo breviores, graciles, usque a basi sat fortiter divaricantes, a basi angusta ad $^2/_3$ longitudinis sensim non parum incrassatæ et foras curvatæ, denique usque ad apicem lateribus leviter rotundatis sensim paullo angustatæ, apice non parum latiores quam basi. Paullo pone apicem, supra, spina longa procurva, basi sat forti, apice breviter et æqualiter bifida armatæ sunt; præterea ipso apice inermes. Series inferior sulci unguicularis ex circa 9 dentibus mediocribus angustis constat: primus horum dentium robustior et multo humilius sive magis infra locatus est quam dentes insequentes, modo paullo pone basin unguis positus et spatio saltem duplo majore a dente secundo distans, quam quibus distant hic et proxime sequentes inter se. Series superior, deorsum curvata, longior est et ex dentibus circa 8 formata, quorum primus longus et fortis est, parum longius quam dens primus seriei inferioris a basi mandibulæ remotus, sed spatio maximo a dente secundo, qui etiam longior et directus est, remotus, ex-adversus dentem

quintum seriei inferioris positus. Dens tertius is quoque longe a dente secundo (sed paullo minus longe quam hic a primo) distat; dens tertius secundo duplo brevior est, tertius — ultimus gradatim minores et spatiis gradatim decrescentibus sejuncti. Unguis mandibulâ evidenter brevior, gracilis, inermis, parum sinuatus, versus basin et apice incurvus, præterea pæne rectus. *Maxillæ* longæ, intus rectæ et parallelæ, in latere exteriore foras curvatæ et fere a medio ad apicem sensim dilatatæ, apice rotundato-truncatæ. *Labium* paullulo longius quam latius, maxillis multo, plus duplo, brevius, apice late rotundato-truncatum et anguste incrassato-marginatum. *Palpi* sat longi, graciles; pars patellaris triplo-quadruplo longior est quam latior apice, pars tibialis eâ circa dimidio longior. Clava basin mandibularum latitudine pæne æquat; procursus apicalis bulbi gracilis et curvatus non ultra apicem partis tarsalis (laminæ) pertinet. *Pedes* gracillimi, aculeis brevibus gracilibus sparsi; tibia 1[i] paris patellâ circa 9.plo longior est. *Abdomen* angustum, cylindratum, fere 6.plo longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* flavo-testaceus, parte cephalica (saltem in impressionibus cephalicis) infuscata, pallide ferruginea. *Sternum* et *mandibulæ* luteo-testacea, *maxillæ* magis flaventes, linea tenui nigra secundum marginem interiorem notatæ. *Labium* obscure testaceo-fuscum. *Palpi* et *pedes* flavo-testacei, illorum bulbus luteus; saltem metatarsi et tarsi apice infuscati sunt. *Abdomen* cinerascenti-fuscum, excepto in ventre maculis minutis inæqualibus argenteo-albis ita dense obsitum, ut argenteo-albicans et supra et in lateribus sub-fusco-reticulatum dici possit; venter pone petiolum strias duas parvas et paullo pone eas maculam parvam nigricantes ostendit, et ad ipsum apicem vestigia macularum duarum nigricantium. *Mamillæ* sub-luteæ.

Femina (sine dubio hujus speciei) modo his rebus a mare supra descripto differre videtur. Dorsum *cephalothoracis* rectum est, non in parte cephalica anteriora versus assurgens. *Mandibulæ* pæne parallelæ, deorsum et paullo anteriora versus directæ, ovato-cylindratæ fere, in latere exteriore rectæ, in interiore latere versus apicem ad longitudinem leviter rotundatæ et divaricantes, in dorso ad longitudinem sat fortiter convexæ; cephalothorace duplo breviores sunt, pæne duplo et dimidio longiores quam latiores, femora antica crassitie multo superantes. Dens primus sat magnus utriusque seriei sulci unguicularis non multo pone basin unguis locatus est. Series marginis inferioris ex dentibus circa 9, magnitudine gradatim decrescentibus, densis et spatiis pæne æqualibus disjunctis formata est; in serie marginis superioris, qui ex paucioribus dentibus constat, dens primus spatio pæne duplo majore a dente secundo (qui eum magnitudine æquat) est sejunctus, quam quo secundus a tertio distat; dentes insequentes gradatim magnitudine decrescunt et spatiis gradatim paullo minoribus disjuncti sunt. Præterea mandibulæ inermes sunt. Unguis æqualiter curvatus, mandibulâ plus duplo brevior, inermis. *Palpi* breves, gracillimi; *pedes* paullo breviores quam in mare.

Color idem est atque in mare, excepto quod *cephalothorax* et *mandibulæ*, ut *maxillæ*, *palpi* et *pedes*, flavo-testacei sunt, vestigiis linearum striolarumve duarum longitudinalium obscurarum in parte thoracica, et quod non tantum metatarsi et tarsi, verum etiam tibiæ et patellæ apice plus minus evidenter infuscatæ vel nigræ sunt, immo summus apex internodiorum palporum niger videtur; femora anteriora intus punctis nonnullis nigricantibus sunt conspersa. *Abdomen* eodem colore est atque in mare: cinerascenti-fuscum, in

dorso et in lateribus supra maculis minutis inæqualibus argenteo-albis densissime conspersum.

♂. — Lg. corp. $6^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. paullo plus 1; lg. abd. 4, lat. ej. circa $^3/_4$ millim. Mandib. pæne 2 millim. longi. Ped. I? (sine tarso $22^1/_2$), II 13, III $6^3/_4$, IV $12^1/_2$ (pat. + tib. 4) millim. longi.

♀. — Lg. corp. 6 millim. Lg. cephaloth. 2, lat. ej. pæne 1; lg. abd. $4^1/_2$, lat. ej. circa $^3/_4$ millim. Mandib. pæne 1 millim. longæ. Ped. I 16, II $8^3/_4$, III circa $4^1/_4$, IV circa $8^1/_2$ (pat. + tib. $2^1/_2$) millim. longi.

Mas et femina parvæ hujus speciei in ins. Kamorta inventi sunt (G.).

Fam. **Euetrioidæ.**

Gen. **Callinethis,** Thor., 1887.

22. ***C. Nicobarica,*** n., *cephalothorace, mandibulis et pedibus plus minus obscure fusco-testaceis, his apice late infuscatis, tibiis 4i paris apice sat late nigris et secundum pæne totam longitudinem pilis longioribus densis fuscis vestitis; abdomine circa dimidio longiore quam latiore, desuper viso sub-ovato vel -elliptico, nec tuberculato neque antice vel postice in conum producto, apice postico dorsi brevissimo sub-acuminato-compresso, obtuso; dorso abdominis plaga maxima argenteo-alba occupato, quæ fascia media nigricanti, postice in lineam angustata et usque ad maculam dorsi apicalem sat magnam nigram extensa geminatur, hac fascia antice ramulos duos obliquos (ad suam quamque maculam nigram ad latus dorsi sitam pertinentes) emittenti, posterius vero utrinque binos ejusmodi ramulos tenuiores et breviores; ventre nigricanti, maculis duabus flavis ad rimam genitalem aliisque duabus prope mamillas sitis notato. — ♀ ad. Long. 6—8 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* tibiâ 4i paris parum longior est, tibiam 2i paris longitudine æquans, fere dimidio longior quam latior, humilis, transversim modo leviter convexus, dorso a latere viso pæne recto, modo in parte cephalica paullo convexo. Latera partis thoracicæ modice rotundata sunt, pars cephalica sat magna, lateribus parum rotundatis anteriora versus sensim modo leviter angustata, fronte sat lata, latitudine dimidiam partis thoracicæ latitudinem non parum superanti, utrinque paullo oblique truncata itaque in medio paullulo angulata, tuberculo oculorum mediorum antice truncato sat fortiter prominenti, tuberculis oculorum lateralium minus fortiter prominentibus. Impressiones cephalicæ fortes, foveas sat magnas formantes; fovea ordinaria centralis maxima, profunda et sub-triangula. Nitidus est cephalothorax, pube tenui saltem in parte cephalica conspersus. A fronte visa series *oculorum* antica leviter sursum, series postica leviter deorsum curvata est; desuper visa utraque series, præsertim antica, paullulo fortius retro est curvata. Oculi medii antici mediis posticis paullulo majores sunt; oculi laterales (præsertim postici) reliquis minores, et bini contingentes inter se. Oculi medii aream occupant parum longiorem quam latiorem postice, et paullo latiorem postice quam antice. Oculi medii postici spatio sunt disjuncti, quod eorum diametrum saltem æquat: a mediis anticis (qui spatio oculi diametro non parum minore sunt separati) intervallo diametrum suam paullo superanti remoti sunt. Oculi medii postici a lateralibus posticis spatio saltem quadruplo

majore, quam quo distant inter se, separati sunt; spatia, quibus medii antici a lateralibus anticis distant, spatio inter oculos medios anticos multis partibus (saltem 6.plo) majora sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei diametro horum oculorum parum est majus et æque circiter magnum ac spatia, quibus distant oculi medii antici a mediis posticis. *Sternum* parum longius quam latius, sub-cordiforme, anterius pilis longis erectis sparsum.

Mandibulæ fortes, femoribus anticis paullo crassiores, fere duplo longiores quam latiores, in dorso fortiter convexæ, nitidæ, vix nisi apice paullo pilosæ. *Maxillæ* non parum longiores quam latiores apice, ubi rotundato-truncatæ sunt, a basi angusta sensim dilatatæ, latere exteriore concavato. *Labium* semi-circulatum, crasse marginatum. *Palpi* gracillimi. *Pedes* sat graciles, præsertim metatarsi et tarsi; tibiæ 4^{i} paris reliquis paullo fortiores sunt et pæne a basi usque ad apicem pilis longioribus densis sub-erectis vestitæ; præterea modice pilosi sunt pedes, aculeis paucis armati. Femora 4^{i} paris paullo incurva: in latere eorum exteriore sive anteriore, versus basin, seriem longitudinalem abbreviatam punctorum densorum video, quæ cilia haud dubie gesserunt. Femora 1^{i} paris seriem aculeorum circa 7 antice habent, reliqua femora modo aculeis circa 4 versus apicem armata sunt (3^{ii} paris femora inermia videntur); tibiæ eæ quoque aculeos modo paucos (circa 5) habent; metatarsorum aculei etiam pauciores sunt visi. Patellæ aculeum apice ostendunt. *Abdomen*, parcius pubescens, circa dimidio longius quam latius est, vix altius quam latius, non multo altius antice quam postice; inerme (læve) est, desuper visum inverse ovatum vel ellipticum, antice angustius rotundatum (sed non in formam coni productum), apice dorsi postico modo anguste, brevissime et obtusissime sub-acuminato, non in conum vel tuberculum producto; a latere visum abdomen postice oblique truncatum est. *Vulva* fere 8-formis: constat enim ex tribus foveis, quarum anterior profunda, sat magna et, ut videtur, postice aperta est, reliquæ duæ, utrinque ad basin ejus locatæ, multo minores.

Color. — *Cephalothorax* et *mandibulæ* plus minus obscure fusco-testacea, harum apice anguste infuscato. *Sternum* aut fusco-testaceum, fascia vel plaga longitudinali media nigra, aut fusco-testaceum totum; nigro-pilosum. *Maxillæ* et *labium* nigra, illæ interdum basi pallidæ. *Palpi* fusco-testacei, apice late (saltem parte tarsali) infuscati. *Pedes* fusco-testacei, metatarsis tarsisque infuscatis, tibiis quoque apice sat anguste et plus minus evidenter infuscatis: in pedibus 4^{i} paris patellæ totæ infuscatæ sunt, tibiæ vero apice sat late nigræ et pilis longioribus densis fuscis secundum pæne totam longitudinem (vel modo basi excepta) vestitæ; etiam metatarsi horum pedum reliquis metatarsis paullo densius fusco-pilosi sunt. *Abdomen* nigricans dicendum quidem, sed dorsum ejus pæne totum plaga maxima argenteo-alba occupatur, quæ fasciâ mediâ longitudinali, postice in lineam tenuem excurrenti et ad maculam magnam apicalem nigram dorsi pertinenti, est geminata: hæc fascia non ita multo pone basin dorsi, utrinque, ramulum oblique foras et retro directum et ad maculam sat magnam rotundatam nigram, ad ipsum latus dorsi sitam, pertinentem emittit, posterius vero utrinque duos ejusmodi ramulos tenues et abbreviatos, quorum anterior fere in medio dorsi locum tenet. Latera abdominis nigra anterius plagam argenteo-albam ostendunt, et plaga illa magna dorsualis hujus coloris procursum unum alterumve inæqualem deorsum directum in latera emittit quoque. Venter niger, maculis duabus flavis prope rimam genitalem aliisque duabus maculis flavis parvis prope *mamillas*, quæ nigricantes vel fuscæ sunt.

Lg. corp. 8 millim. Lg. cephaloth. $3^1/_2$, lat. ej. paullo plus $2^1/_2$; lg. abd. $5^2/_3$, lat. ej. pæne 4 millim. Ped. I 17, II 14, III 8, IV $13^1/_3$ (pat. + tib. $4^1/_3$) millim.

Duo exempla feminea examinavi, in. ins. Nicobare Minore capta (G.).

23. ***C. tristicta***, N., *cephalothorace, sterno, partibus oris et extremitatibus fusco-testaceis vel testaceis, his apice infuscatis, pedibus æqualiter et non dense pilosis, tibiis anterioribus apice plus minus distincte nigris; abdomine longo et angusto, non tuberculato, postice in conum brevem retro directum producto, cinerascenti-fusco, supra vero sub-argenteo et fascia media longitudinali ramosa cinereo-fusca prædito, in ipso apice postico, ut et utrinque apud mamillas, macula minore nigra notato; ventre cinereo-fusco, macula vel fascia brevi sub-furcata plus minus evidenti in medio. — ♀ ad. Long. circa $5^3/_4$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax*, tibiam cum dimidia patella 4^i paris longitudine circiter æquans, ad formam ut in specie priore est, modo paullo altior magisque convexus, nitidus, pæne glaber; circa dimidio longior quam latior est, frontis latitudine dimidiam partis thoracicæ latitudinem paullo superanti. A fronte visa series *oculorum* antica levissime sursum curvata est, series postica paullulo fortius deorsum curvata; desuper visa series antica sat leviter, postica modo levissime est recurva. Oculi laterales, quorum postici reliquis oculis minores sunt, contingentes sunt inter se; oculi medii, in tuberculo sat prominenti antice truncato positi, eadem magnitudine inter se videntur, et aream æque longam ac latam postice paullulloque latiorem postice quam antice occupant. Spatia, quibus oculi medii postici inter se et a mediis anticis distant, diametrum illorum æquant; oculi medii antici spatio diametro sua paullo minore sunt disjuncti. Oculi medii postici a lateralibus posticis intervallo sunt separati, quod saltem duplo majus est quam id, quo distant inter se; oculi medii antici saltem quadruplo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt. Spatia, quibus oculi medii antici a vero margine clypei sunt sejuncti, oculi diametrum (et spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant) non æquare videntur. *Sternum* cordiformi-triangulum, vix longius quam latius, pilis erectis antice longis, postice brevioribus sat dense sparsum.

Mandibulæ pæne duplo longiores quam latiores, femoribus anticis saltem dimidio latiores, pæne ovatæ, intus a medio ad apicem rotundato-angustatæ et ita divaricantes, in dorso versus basin fortiter convexæ, quasi geniculatæ. *Maxillæ* evidenter longiores quam latiores apice, a basi angusta sensim dilatatæ, apice late rotundato, latere exteriore concavato sive foras curvato. *Labium* fere semicirculatum, crasse marginatum. *Palpi* omnium gracillimi; *pedes* quoque gracillimi, sat longi, æqualiter et non dense pilosi. Femora 4^i paris extus ad basin seriem longitudinalem punctorum circa 7 minus densorum ostendunt, quibus cilia (jam detrita) haud dubie imposita fuerunt. Aculeis sat paucis gracilibus armati sunt pedes: in femoribus 1^i paris, e. gr., antice seriem longitudinalem aculeorum 3 vel 4 video, et præterea 2 vel 3 aculeos versus apicem, aculeumque singulum postice, magis versus medium, situm. *Abdomen*, parce pilosum, basi anteriora versus non vel parum productum est, pone mamillas vero in conum brevem sub-obtusum retro directum productum; desuper visum cylindrato- vel anguste ovato-lanceolatum est, circa triplo longius quam latius, antice rotundatum et in medio truncatum vel paullo retusum, in lateribus levissime rotundatum et postice sensim breviter angustato-acuminatum, summo apice obtuso; a latere visum pæne cylindratum est, dorso pæne recto, inter mamillas et

apicem dorsi valde oblique truncatum. *Vulva* ex fovea magna sed non profunda, breviter ovata, pallida, paullo ante rimam genitalem sita et septo tenui longitudinali bipartita constat, quæ postice aperta est, hic angustata et lateribus parallelis ad rimam genitalem continuata.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum*, *mandibulæ*, *maxillæ*, *palpi* et *pedes* testacea vel fusco-testacea, *labium* ejusdem coloris vel nigricans; palpi et pedes, ut sternum nigro- vel fusco-pilosi, apice sat late infuscati sunt, tibiæ anteriores apice, saltem infra, nigræ, patellæ anteriores interdum utrinque macula nigra notatæ; aculei nigri vel fusci sunt. *Abdomen* cinerascenti-fuscum dicendum, supra tamen maculis minutis argenteis adeo dense sparsum, ut dorsum (cum lateribus supra) sub-argenteum evadat, fascia media longitudinali, posterius in lineam angustata, cinerascenti-fusca notatum; quæ fascia pæne a margine antico dorsi ad apicem ejus posticum ducta est et utrinque ramulos tres abbreviatos emittit, ramulis primi paris in parte dorsi antica sitis, paullo crassioribus et minus obliquis, ramulis posterioribus quattuor oblique retro et foras directis. In ipso apice postico abdominis macula sat parva nigra conspicitur, aliaque ejusmodi macula in utroque latere, infra, prope mamillas. Præterea latera et venter cinerascenti-fusca sunt, illa interdum vestigiis lineæ longitudinalis argenteæ, hic macula vel fascia media longitudinali abbreviata et postice furcata (plus minus distincta) argentea, e maculis minutis densis formata, notatus. *Mamillæ* testaceo-fuscæ.

Lg. corp. $5^3/_4$ millim. Lg. cephaloth. pæne $2^1/_4$, lat. ej. paullo plus $1^1/_2$; lg. abd. $3^3/_4$, lat. ej. pæne $1^1/_2$ millim. Ped. I $12^1/_2$, II $10^1/_4$, III $4^5/_4$, IV $8^1/_2$ (pat. + tib. $2^1/_2$) millim. longi.

Feminæ duæ, quas examinavi, in ins. Nanchovry captæ sunt (G.).

Gen. **Argyroepeira** (Emerton), 1884.

24. ***A. ventralis*** (Thor.).

Syn.: 1877. *Meta ventralis*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 423 (83).

Feminas paucas ex insulis Nicobare Minore, Pulo Milo et Nanchovry (G.) vidi. Præterea in Sumatra et in Celebes ut et in Birmania capta est hæc species.

25. ***A. striata*** (Thor.).

Syn.: 1877. *Meta striata*, Thor., Studi, cet., I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 427 (87).

Singula hujus speciei femina in ins. Nanchovry est inventa (G.); ceterum in ins. Pinang et in aliis locis Indo- et Austro-malesiæ (e. gr. in Nova Guinea) vitam degit *A. striata*.

Gen. **Larinia**, Sim., 1874.

(= **Lipocrea**, Thor., *olim.*)

26. ***L. melanosticta***, n., *cephalothorace tibiam 4i paris longitudine fere æquanti, luteo, macula nigra postice in parte cephalica notato; sterno, partibus oris et extremitatibus virescenti- vel luteo-flavis; oculis mediis anticis spatio diametro sua evidenter majore disjunctis,*

et modo paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; abdomine longo et angusto, cylindrato-fusiformi, antice in conum acuminatum producto, et postice supra mamillas retro producto quoque; dorso abdominis pallide virescenti-testaceo vel -cinereo, maculis rotundatis parvis quattuor nigris in rectangulum multo longius quam latius dispositis ornato. — ♀ jun. Long. saltem 6 millim.

Femina jun. — *Cephalothorax*, tibiam 4ⁱ paris longitudine pæne æquans, pæne duplo longior quam latior est, utrinque anterius modo levissime sinuatus, lateribus partis thoracicæ modo postice sat fortiter, præterea leviter rotundatis et lateribus partis cephalicæ pæne rectis anteriora versus sensim modice angustatus; frons, quæ dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superat, fortiter angulato-rotundata est, tuberculo oculorum mediorum lato et truncato, fortiter prominenti, oculis lateralibus vix prominentibus. Transversim sat fortiter convexus est cephalothorax, a latere visus postice sat brevi spatio fortiter declivis, dorso præterea recto et librato, area oculorum tamen paullo proclivi; impressiones cephalicæ satis distinctæ sunt; fovea ordinaria centralis formam habet sulci sat longi et fortis, postice in declivitatem posticam pertinentis. Lævis est cephalothorax, nitidus, et pilis, ut videtur minus densis, conspersus. *Oculi* medii pæne æquales sunt, antici eorum posticis saltem non majores; laterales postici reliquis oculis multo minores. Oculi laterales contingentes sunt inter se; oculi medii aream occupant paullo longiorem quam latiorem antice, et multo latiorem antice quam postice. A fronte visa series oculorum antica pæne recta est, vix vel parum deorsum curvata, series postica vero fortiter deorsum curvata; desuper visa series antica sat fortiter, postica parum recurva est. Spatium inter oculos medios posticos dimidiam eorum diametrum vix vel non æquat; a lateralibus posticis spatio sunt disjuncti, quod oculi medii diametro saltem triplo majus est. Oculi medii antici intervallo oculi diametro evidenter paullo majore sunt separati: a lateralibus anticis spatiis distant, quæ intervallo illo modo paullulo majora sunt. Spatia, quibus medii antici a mediis posticis sunt remoti, horum oculorum diametro multo, saltem dimidio, majora sunt; a margine clypei intervallo distant oculi medii antici, quod spatiis inter eos et medios posticos non parum minus est. *Sternum* pæne duplo longius quam latius, sub-ellipticum, lateribus in medio pæne rectis et parallelis, antice emarginato-truncatum, postice breviter acuminatum; parce pilosum, læve et nitidum est, tuberculis ad coxas vix ullis.

Mandibulæ paullo plus duplo longiores quam latiores, femora antica latitudine fere æquantes, intus pæne a medio ad apicem sensim rotundato-angustatæ, in dorso versus basin sat fortiter convexæ, nitidæ, parce pilosæ. *Maxillæ* paullo divaricantes, non multo longiores quam latiores apice, labio duplo longiores; basi angustæ sunt, apice truncato-rotundatæ, in latere exteriore rectæ. *Labium* non parum latius quam longius, pæne semicirculatum. *Pedes* breves, graciles, 1ⁱ paris cephalothorace plus 4.plo longiores; sat dense pilosi et aculeis gracilibus sat crebris armati sunt: in femoribus 1ⁱ paris 1. 1. aculeos intus, 1 supra, versus medium, et 2 parvos ad apicem, supra, video. Femora 4ⁱ paris serie ciliorum in latere exteriore carent. *Abdomen*, pilis longis fortibus parce sparsum, longum et angustum est, plus triplo longius quam latius, antice supra petiolum in conum brevem acuminatum anteriora versus directum productum, postice supra mamillas eodem modo retro productum, sed, ut videtur, hic magis obtusum; desuper visum fusiformi-cylindratum fere est, præsertim antice sub-acuminatum, in lateribus levissime rotundatum; a la-

tere visum supra leviter et æqualiter convexum est, antice posticeque oblique concavato-truncatum, *mamillis* non parum ante apicem posticum sitis.

Color. — *Cephalothorax* luteus, albicanti-pilosus, macula sub-triangula nigra in apice postico partis cephalicæ notatus, sulco ordinario centrali infuscato. *Sternum* luteo-flavens. *Partes oris*, *palpi* et *pedes* virescenti-flavi, pallido-pilosi, aculeis ad partem nigris, ad partem pallidis armati. *Abdomen* superius pallide virescenti-testaceum vel cinerascens est, pilis longis albicantibus sparsum et maculis 4 parvis rotundatis nigris in dorso ornatum: duæ anteriores harum macularum non multo pone apicem anticum dorsi locum tenent, duæ posteriores, anterioribus minores, et non parum pone medium dorsi sitæ, cum iis rectangulum magnum, multo longius quam latius, formant; utrinque pone has maculas puncta duo nigra video. Maculæ illæ quattuor et hæc quattuor puncta in series duas parallelas secundum latera dorsi disposita sunt; summus apex posticus abdominis nigricans videtur. In dorsi parte postica lineæ longitudinales quattuor tenuissimæ obscuræ conspiciuntur quoque. Subter abdomen obscurius, nigricanti-olivaceum fere, est; vestigia fasciæ mediæ longitudinalis flavæ in ventre, ut et maculæ ejusdem coloris utrinque ad latera mamillarum sitæ, ostendit. *Mamillæ* testaceo-fuscæ.

Lg. corp. paullo plus 6 millim. Lg. cephaloth. 2, lat. ej. circa $1^1/_4$; lg. abd. $4^2/_3$, lat. ej. paullo plus $1^1/_2$ millim. Ped. I $8^3/_4$, II $8^1/_3$, III circa $4^1/_4$, IV $7^1/_2$ (pat. + tib. $2^3/_4$) millim. longi.

Exemplum femineum, quod singulum et nondum adultum hujus speciei vidi, in ins. Chovry inventum est (G.).

Gen. **Nephila** (Leach), 1815.

27. ***N. maculata*** (Fabr.).

Syn.: 1793. *Aranea maculata*, Fabr., Entom. Syst., II, p. 425.
1841. *Epeira chrysogaster*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II [1], p. 92.

Exempla feminea omnis ætatis hujus speciei ex ins. Nanchovry vidi, ut et ♂ *ad.* ex ins. Chovry (G.) Museum Hauniense præterea specimina ex ins. Nicobare Minore et Terressa, et ex Java (Batavia) possidet (G.), unamque feminam ex Assam. — *N. maculata* species est per totam Asiam meridionalem et magnam partem Australiæ diffusa; etiam in Africa occidentali vitam degere dicitur.

Gen. **Nephilengys**, L. Koch, 1872.

28. ***N. Malabarensis*** (Walck.).

Syn.: 1841. *Epeira Malabarensis*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 103.

Exempla hujus araneæ, quæ per totam Indo- et Austro-malesiam reliquasque partes Asiæ meridionalis et Australiæ vulgaris videtur, et etiam in Africa et in America vitam

[1] Hoc volumen in primo spatio semestri anni 1841 (*non* in 1837) publici juris factum esse, hoc modo videre licet. White in opusculo suo *Descr. of new or little known Arachnida*, in Ann. and Mag. of Nat. Hist., VII (*1841*), pp. 472—73, ita scribit: »Those who have consulted Walckenaer's first volume» etc. . . . »It is much to be desired that the other volumes of Baron Walckenaer's elaborate work were published.» Tum, in *nota* p. 473, hæc dicit: »July 2. Since this paper was written the 2nd volume of Walckenaer's work has been published.»

degit, ex Java (e. gr. Batavia (G.)) communicavit Mus. Zool. Hauniense; exempla ex Padang et Kaju Tanam Sumatræ misit Soc. Ent. Haun.

Gen. **Argiope**, Sav., 1827.

29. ***A. catenulata*** (Dol.).

Syn.: 1859. *Epeira catenulata*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 30, Tab. IX, fig. 1.
1886. » *pelewensis*, Keyserl. et L. Koch, Die Arachn. Austral., II, p. 136, Tab. XI, figg. 2 et 2ª.

Hujus speciei, jamdudum in Java, in peninsula Malacca, in Celebes, in India, in Siam et in insulis Pelew inventa, feminas duas juniores ex Nicobarium insulis vidi, alteram in Terressa, alteram in Kamorta captam (G.).

30. ***A. æmula*** (Walck.).

Syn.: 1841. *Epeira æmula*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 118.

Specimen femineum junius ex Nanchovry (G.) nunc examinavi, ut et feminas paucas adultas ad Tjadé (Atjeh) Sumatræ a D:re P. A. Klein collectas. — Hæc species per pæne totam Asiam meridionalem et Austro-malesiam diffusa est, etiam in Nova Hollandia vitam degens.

31. ***A. macrochoera***, n., *cephalothorace nigro vel piceo, pube densa sericea argenteo-alba satis æqualiter vestito sterno ad maximam partem plaga magna rotundato-triangula, in lateribus radianti, flava occupato, lateribus sterni anguste nigris; pedibus nigris vel piceis, tibiis versus basin annulo e pube alba formato cinctis, femoribus anterioribus subter maculis transversis (sive annulis supra abruptis) binis albis notatis quoque; abdomine inverse pentagono-ovato, antice truncato et utrinque tuberculo parvo conico munito, supra nigro vel fusco, pictura flava argenteo-pubescenti ornato, quæ ex trapezio antico et dein, paullo pone medium, ex vitta transversa lata constat, hac vitta flava a trapezio illo (quod antice linea nigra limitatur) vitta transversa minus lata nigra separata, quæ, ut area apicalis dorsi sub-triangula nigra, serie transversa macularum parvarum flaventium plus minus evidentium notata est; ventre fasciis duabus parallelis longis, e ternis maculis plus minus inter se unitis formatis, ornato, his fasciis paullo pone medium ramulum foras directum emittentibus, spatio interjecto paribus tribus macularum flavarum anterius notato; lamina vulvæ longa, deorsum et retro directa, utrinque subito fortissime angustata, parte apicali ejus sub-ovata longe ultra septum vulvæ producta. — ♀ ad. Long. circa 14 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria est, pæne planus, æque longus ac tibia 4ª paris, paullo longior quam latior; latitudo frontis dimidia partis thoracicæ latitudine non parum est minor. Tuberculum *oculorum* mediorum anticorum et præsertim tubercula duo oculorum lateralium fortiter prominentia sunt; area oculorum mediorum evidentissime latior est postice quam antice, et pæne dimidio longior quam latior postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro paullo majus est, spatium inter medios posticos eorum diametro pæne duplo majus; spatia, quibus distant oculi medii antici a lateralibus anticis, duplo majora sunt quam spatium, quo distant illi inter se. Tubercula lateralia et apicale *sterni* sat humilia sunt, sub-transversa.

Mandibulæ paullo plus duplo longiores quam latiores basi, ibique femora antica crassitie æquantes, apicem versus primum parum, denique fortius sensim angustatæ, latere

exteriore (a fronte viso) recto; ipse apex mandibulæ supra, paullo magis intus, lobum parvum rotundatum format, quem sequitur, in margine anteriore sulci unguicularis, series dentium fortium 3; margo posticus hujus sulci is quoque 3 dentibus est armatus. *Palpi* et *pedes* sat graciles, longitudine mediocri. Pedes aculeis sat longis et sat crebris armati sunt, præsertim in tibiis, aculeis tamen in femoribus, supra, brevioribus, et subter in his internodiis gracilioribus; aculei femorum 4i paris nec densiores nec multo breviores, quam sunt aculei pedum anteriorum. Tibiæ 4i paris pæne a medio ad apicem pilis paullo longioribus et densioribus vestitæ sunt; etiam tibiæ anteriores hoc modo sunt pilosæ, sed minus evidenter. Coxæ et trochanteres inermes. *Abdomen* non parum longius quam latius, inverse pentagono-ovatum, antice truncatum ibique multo angustius quam in medio, et utrinque, paullo pone angulos, in tuberculum parvum conicum elevatum; posteriora versus a basi saltem ad medium lateribus parum rotundatis, pæne rectis, sensim dilatatum est, dein lateribus primum fortius, dein modo leviter rotundatis sensim angustatum, angulis lateralibus rotundatis, vix prominentibus. *Vulva* forma valde singulari est: »lamina» ejus, deorsum et retro directa, longa est, a fronte visa utrinque subito fortissime angustata, ita ut e partibus duabus formata videatur, parte basali convexa et multo latiore quam longiore, parte apicali, breviter ovata fere, elevato-marginata et apice excavata, apice et lateribus glabris et nitidis. »Septum» vulvæ basi (apud ventrem) latum est, præterea angustum: *non* in apicem laminæ vulvæ sensim transit, sed *medio* lateris posterioris ejus infixum est, ita ut pars apicalis laminæ longe ultra septum libere excurrat. Foveæ duæ, quas hoc septum separat, suo quæque septo obliquo in binas foveolas sunt divisæ, quarum interior exteriore major est.

Color. — *Cephalothorax* niger vel piceus, pube densa appressa sericea argenteo-alba satis æqualiter tectus. *Sternum* plaga maxima flava sub-triangula, antice truncata, apice (postice) retro producta, in lateribus fortiter rotundatis trilobata ad maximam partem occupatur, remanentibus modo marginibus lateralibus sterni satis anguste nigris. *Labium* flavum; *maxillæ* nigræ, apice testaceæ. *Mandibulæ* piceæ. *Palpi* fusco-testacei, partibus femorali et patellari saltem apice anguste nigris, parte tibiali basi et apice nigra, parte tarsali saltem versus apicem nigricanti. *Pedes* nigro-picei, pilis nigris vel fuscis pubeque appressa ejusdem coloris vestiti, et pube alba quoque muniti, quæ annulos binos supra late abruptos (sive vittas binas transversas subter) in femoribus anterioribus format; tibiæ omnes versus basin annulo albo e pube formato cinctæ sunt. Aculei nigri vel fusci. *Abdomen* nigrum vel fuscum, pictura flava, partibus flavis pube tenui sericea argenteo-alba tectis. Dorsum ejus antice area trapezoidi flava æque longa ac lata antice, multo latiore postice quam antice, et postic eleviter concavata occupatur, quæ antice linea transversa nigra (in lateribus retro producta) limitatur, postice vero vitta transversa nigra vel fusca, parum ante medium (et angulos laterales abdominis) ducta: pone hanc vittam sequitur vitta transversa flava etiam multo, pæne duplo, latior, dorso pone eam in formam trianguli antice leviter rotundati nigro vel fusco. Hæc area apicalis dorsi serie transversa macularum parvarum flaventium fere 5, non parum pone vittam flavam sitarum, est notata, magis versus anum vero lineola pallida transversa recurva, et, denique, maculis paucis pallidis utrinque. Declivitas abdominis antica flavens est; area trapezoides flava lineolam transversam (vel crucem) obscuram plus minus evidentem in medio ostendit; in vitta illa trans-

versa media nigra, postice, vestigia macularum paucarum pallidarum video, in seriem longam transversam dispositarum. *Venter* fascias duas longas sat latas parallelas flavas ostendit, e maculis ternis oblongis (media reliquis minore) plus minus coalitis formatas, quæ fasciæ, a rima genitali ad latera mamillarum pertinentes, in latere exteriore paullo pone medium ramulum brevem foras directum emittunt; anterius inter has fascias maculæ sex parvæ flaventes sub-transversæ (mediæ reliquis minores) adsunt, in series duas longitudinales parallelas dispositæ: pone eas, utrinque, macula una alterave parva flavens interdum conspicitur.

Lg. corp. 14 millim. Lg. cephaloth. pæne $5^1/_2$, lat. ej. $4^1/_2$ millim.; lg. abd. $9^1/_4$, lat. ej. 7 millim. Palpi 6 millim. longi. Ped. I et II $29^1/_2$, III pæne 16, IV $24^2/_3$ millim. longi.

Feminas duas, alteram (dimensam) adultam, alteram juniorem, vidi, in ins. Nicobare Minore captas (G.). Etiam in Nicobare Majore sive Sambelong inventa fuit hæc species (G.). A formis (e. gr. *A. pulchella*, Thor.), quibus pictura dorsi abdominis similis est, forma valde notabili vulvæ statim dignosci postest *A. macrochoera*.

Gen. **Euetria**, Thor., 1887.

32. ***E. Moluccensis*** (Dol.).

Syn.: 1857. *Epeira Moluccensis*, Dol., Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 418.

Species per totam Indo- et Austro-malesiam, ut videtur, distributa, et in multis aliis locis Asiæ meridionalis et Australiæ inventa quoque. Museum Zool. Haun. exempla ex ins. Nicobaribus (Kar Nicobare, Nicob. Minore et Terressa: G.) et ex Metufi Novæ Britanniæ (Dom. Hartmann signata) mecum communicavit.

Gen. **Epeira** (Walck.), 1805.

33. ***E. punctigera,*** Dol.

Syn.: 1857. *Epeira punctigera*, Dol., Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 420.
1877. » *vatia*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 342 (82) et 344 (84).

Femina adulta *E. punctigeræ*, Var. *vatiæ*, in Nanchovry est inventa (G.); juniores, quæ hujus speciei videntur, ibidem et in insula quæ, Kar Nicobar vocatur captæ sunt (G.). Etiam in multis locis Indo- et Austro-malesiæ, ut et in Birmania et in ins. Mauritio inventa est hæc species.

34. ***E. Théisii*** (Walck).

Syn.: 1841. *Epeira Théisii* [*Theïs*], Walck., H. N. d. Ins. Apt., II, p. 53; Atlas, Pl. 18, fig. 4.

Exempla nonnulla adulta et juniora utriusque sexus *E. Théisii*, quæ ea quoque per magnam partem Asiæ meridionalis et in Australia vitam degit, in ins. Nicobaribus (Nanchovry, Terressa, Kamorta) et ad Calcuttam inventa (G.), communicavit Mus. Zool. Havniense. [1]

[1] Inter araneas ex insulis Nicobarium aliisque partibus Asiæ meridionalis a Museo Hauniensi mecum communicatas, Epeiram Americanam sat parvam sed pulchram reperi, quam, quum nova videatur, hoc loco describere liceat.

35. ***E. centrodes,*** THOR.

Syn.: 1887. *Epeira centrodes*, THOR., [Viaggio di L. Fea in Birmania e regioni vicine. II] Primo Saggio sui Ragni Birmani, *in* Ann. d. Museo Civ. di Storia Nat. di Genova, Ser. 2ª, Vol. V, p. 209.

1890. » » id., Studi, *cet.*, IV, Ragni dell' Indo-malesia, I, loc. cit., p. 169.

Femina male conservata, quam hujus speciei credo, in ins. Nanchovry capta fuit (G.). Vix ab exemplis in Birmania et in Sumatra inventis differre videtur, nisi oculis mediis anticis fere triplo, non modo duplo, longius ab oculis lateralibus quam inter se remotis, et pedibus omnibus (etiam 1ⁱ paris), ut videtur, aculeis carentibus (nonne detritis?).

A ***Galatheæ,*** N., *cephalothorace nigro-piceo, albicanti-piloso, oculis mediis in trapezium antice latius quam postice et æque longum ac latum antice dispositis, anticis horum oculorum posticis eorum paullulo majoribus et circa duplo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; sterno nigro, lineola media longitudinali brevi flava postice; pedibus testaceo-fuscis, femoribus et internodiis insequentibus apice nigris; abdomine pulchre ovato, area ordinaria dorsuali anterius sub-fusca postice nigra inter lineas duas flexuosas albas pæne per totum dorsum extensas inclusa, maculis 4 parvis albis in trapezium postice latius dispositis anterius ornata, et fascia media longitudinali alba fusco-geminata, e triangulis duobus angustis postice apertis et e lineolis parvis incurvis composita, persecta; ventre late nigro, fascia media longitudinali angusta flava et punctis duobus flavis prope mamillas sitis notato: scapo vulvæ sat brevi, in apicem tenuem anteriora versus curvatum exeunti.* — ♀ *ad. Long.* $5^1/_2$—*7 millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax*, tibiam cum patella 4ⁱ paris longitudine circiter æquans, forma plane ordinaria est, sat humilis, dorso a latere viso ante declivitatem posticam modo leviter et æqualiter convexo; pars thoracica in lateribus fortiter rotundata est, pars cephalica mediocris, non parum latior quam longior, anteriora versus sensim parum angustata, fronte truncata (tuberculis oculorum, præsertim tuberculo mediorum, sat fortiter prominentibus tamen) dimidiam partem thoracicam latitudine æquanti. *Oculi* medii pæne æquali magnitudine sunt (antici posticis modo paullulo majores) et in trapezium non parum latius antice quam postice et æque circiter longum ac latum antice dispositi; oculi bini laterales, iis non parum minores, sub-contingentes sunt inter se. Spatia, quibus oculi medii antici inter se et a mediis posticis distant, oculi antici diametrum saltem æquant; spatium inter medios posticos eorum diametro paullo minus est. Oculi medii antici circa duplo longius a lateralibus anticis quam inter se sunt remoti. *Sternum* non parum longius quam latius, triangulo-ovatum, antice truncatum, nitidum, pilosum, tuberculis tribus evidentibus utrinque, ad basin coxarum: pone labium tuberculum medium humillimum video quoque.

Mandibulæ plus duplo longiores quam latiores, apicem versus sensim parum angustatæ, in dorso versus basin sat leviter convexæ. *Pedes* mediocri longitudine et crassitie sunt, aculeis gracilibus sat longis armati. Coxæ et trochanteres inermes sunt; femora 1ⁱ paris præsertim anterius aculeata, hic aculeis circiter 7 munita; reliqua femora modo paucos aculeos ostendunt. Subter aculeis carere videntur femora, ibi serie setarum longarum prædita. Patellæ anteriores 5 aculeos habuisse videntur, apicalem eorum sat longum. *Abdomen* pulchre ovatum, tuberculis humeralibus plane carens, pilis longioribus parcius sparsum. *Vulva* ex corpore brevi transverso et ex scapo eo duplo longiore et, a latere viso, ∼-formi (dimidio apicali anteriora versus curvato) constat: scapus sat parvus, diametrum basalem metatarsi longitudine vix superans, a basi sat lata sensim in apicem tenuem angustatus; corpus vulvæ in medio late impressum vel excavatum videtur, ita ut utrinque ad basin scapi tuberculum nitidum rotundatum formet.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, pilis albo-cinerascentibus sat dense vestitus: postice in parte cephalica vestigia maculæ vel fasciæ abbreviatæ pallidæ video (?). *Sternum* nigrum, lineola media longitudinali brevi flava postice notatum. *Mandibulæ* piceæ, apice nigræ; *maxillæ* et *labium* nigro-picea, summo apice pallidiora. *Palpi* testaceo-fusci, annulis nigris. *Pedes* quoque testaceo-fusci, nigro-annulati: femora et patellæ apice plus minus evidenter nigra sunt, tibiæ apice latius nigræ et, saltem 1ⁱ paris, præterea annulo nigro vel macula nigra versus basin præditæ, metatarsi et tarsi apice anguste nigri; pedes anteriores præterea maculis paucis parvis nigris in femoribus tibiisque sunt notati, quibus insistunt aculeorum nonnulli. Albo-pilosi sunt pedes, versus apicem nigro-pilosi, aculeis nigris et fuscis. *Abdominis* area magna dorsualis, anterius fusca, postice nigra, linea undulata alba ab humeris pæne ad mamillas extensa utrinque limitatur; secundum medium fasciam longitudinalem posteriora versus angustatam albam, colore fusco inæqualiter geminatam ostendit, quæ ex triangulis duobus angustis postice apertis (anteriore eorum majore) et ex serie duplici lineolarum paucarum minutarum incurvarum composita est; ad basin utriusque triangulorum illorum, utrinque, macula parva alba (posterior eorum plus minus transversa) conspicitur, his quattuor maculis in trapezium antice non parum angustius quam postice et paullo longius quam latius antice dispositis; saltem posticæ harum macularum annulo nigro (vel, postice, arcu nigro) cinctæ sunt. Interdum pictura alba dorsi fusci et albo-pilosi magis flavens videtur. Latera abdominis superius fusca, inferius magis nigra sunt, colore nigro a fusco linea longitudinali albicanti crasse et inæqualiter dentata separato; venter late niger

Gen. **Poltys**, C. L. Koch, 1843.

36. ***P. pogonias***, n., *cephalothorace et pedibus fusco-testaceis, femoribus apice nigris, parte cephalica in procursum longum sat fortem anteriora versus et sursum directum producta, qui oculos medios et oculos laterales anticos gerit, et in utroque latere fasciculo foras directo sub-triangulo e pilis albis formato munitus est; abdomine superius albo-cinerascenti, nigro-variato, supra petiolum sensim in procursum latum elevato-producto, qui apice dilatatus et in lobos duos crassos divisus est et saltem ad basin utrinque tuberculo fortiori munitus. — ♀ jun. Long. saltem 4 millim.*

Femina jun. — *Cephalothorax* tibiâ cum patella 4[1] paris paullo longior est et plus dimidio longior quam latior, anteriora versus sensim fortiter angustatus, inverse et inæqualiter cordiformi-triangulus fere, posterius in lateribus fortiter rotundatus, utrinque ad partem cephalicam ample et leviter sinuatus; pars cephalica pone oculos laterales posticos sat fortiter convexa est, ante hos oculos impressa et cito fortiterque angustata (angulis ample rotundatis), et tum in procursum longum, fortem, oculos reliquos sex gerentem, sursum et anteriora versus directum elevata. Hic procursus, dimidiam partem cephalicam latitudine fere æquans, paullo longior quam latior est, et apice superius, inter oculos medios posticos sive superiores, in tuberculum conicum sub-obtusum paullo productus, basi vero, sub oculis lateralibus anticis, constrictus; a latere visus basi (sub his oculis) fortissime reclinatus est, præterea ad lineam rectam truncatus et minus reclinatus, supra paullo convexus et, apice superius, sub-acuminatus. Oculi laterales antici ad basin ejus, anterius utrinque, tuberculum parvum formant, si a tergo vel a fronte inspicitur hic procursus; pilis longioribus vestitum est, ut pars reliqua cephalothoracica secundum medium, et fere in medio utrinque fasciculum longiorem sub-triangulum foras directum e pilis longis densis formatum ostendit. Pars thoracica fortius convexa est, sulcus ordinarius centralis longus et angustus, impressiones cephalicæ fortissimæ, reliqui sulci radiantes distinctissimi quoque. *Oculi* medii postici mediis anticis non parum majores sunt, medii antici lateralibus anticis paullo majores, laterales postici reliquis minores. Oculi laterales postici, saltem 4.plo longius a lateralibus anticis quam hi a mediis anticis remoti, in ipsa parte cephalica siti sunt; reliqui sex, in procursu ejus locati, aream paullo longiorem quam latiorem infra, et non parum latiorem infra quam supra, formant: laterales antici ad basin laterum procursus, magis antice, locum tenent, medii 4 dimidium superius lateris anterioris ejus occupant, in aream pæne quadratam dispositi. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametro circa dimidio majus est, spatium inter medios anticos eorum diametro fere duplo est majus; spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, horum diametrum vix superant, et vix vel parum majora sunt quam spatia inter oculos medios anticos et laterales

---

linea inæquali testacea utrinque includitur: pone vulvam ferrugineo-fuscam lineam mediam longitudinalem postice plus minus abbreviatam flavam ostendit, et utrinque ad latera mamillarum nigricantium maculam minutam flavam.

Lg. corp. 7 millim.; lg. cephaloth. 3, lat. ej. $2^1/_4$; lg. abd. $4^2/_3$, lat. ej. pæne 4 millim. Ped. I $11^1/_4$, II $9^1/_4$, III 6, IV $8^1/_4$ (pat. + tib. 3) millim. longi.

Feminas duas examinavi, in America meridionali, ad Cobija Boliviæ, captas (G.). Hæc species *E. Théisii* et affinibus sat similis est, præter formâ vulvæ colore ventris et sterni ut et trapezio macularum albarum in dorso abdominis nescio an facile internoscenda.

anticos; spatium inter laterales duos anticos circa duplo majus est quam spatium inter medios anticos — an ita etiam in adultis? — Quum a fronte inspicitur cephalothorax, seriem fortiter deorsum curvatam formant oculi 4 antici: si a latere inspicitur, oculi laterales bini cum oculo medio antico seriem longam rectam formare videntur.

Mandibulæ duplo longiores quam latiores, apicem versus parum angustatæ, in dorso parum ad longitudinem convexæ, pæne rectæ. *Pedes* anteriores tibias non parum deorsum et foras curvatas habent; hæ tibiæ, ut metatarsi anteriores, in latere interiore densissime (præterea modice) aculeatæ sunt, femora anteriora contra modo ternis aculeis munita. *Abdomen* circa duplo longius (sive altius) est quam latius; supra petiolum sensim in procursum latum, reliquo abdomine non multo angustiorem elevatum est, ita ut distantia inter petiolum et apicem hujus procursus majus evadat, quam spatium inter petiolum et anum; apice hic procursus dilatatus est et in medio sat profunde incisus, ita duos lobos crassos sub-tuberculatos vel inæquales formans, lateribus præterea parallelis et, ut videtur, paullo inæqualibus; ad basin utrinque tuberculum majus foras directum ostendit procursus. Etiam latera leviter rotundata ipsius abdominis, quod posteriora versus sensim angustius evadit, tubercula circa terna formare videntur (?).

Color. — *Cephalothorax*, *sternum*, *partes oris* et *pedes* fusco-testacea, his exceptis: sulci radiantes cephalothoracis infuscati sunt, pars cephalica lineam tenuem longitudinalem mediam nigricantem ostendit, et albo-pilosa est, etiam fasciculis illis procursus cephalici albis; femora apice saltem superius sat late nigricantia sunt, tibiæ saltem posteriores apice late infuscatæ. Aculei pedum fusci. *Palpi* clarius testacei. *Abdomen* supra et in lateribus albo-cinerascens est, maculis punctisque (et posterius in dorso striis transversis) nigris variatum, subter nigricans.

♀ *jun.* — Lg. corp. 4 millim. Lg. cephaloth. $2^1/_3$, lat. ej. $1^1/_2$ millim.; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. $1^3/_4$ millim. Ped. I et II pæne 7, III circa $4^2/_3$, IV 6 (pat. + tib. pæne 2) millim. longi.

Exemplum singulum nondum adultum singularis hujus speciei vidi, quæ sine dubio multo major evadit. In ins. Nicobare Minore captum est (G.).

Gen. **Cyrtarachne**, Thor., 1868.

37. ***C. invenusta***, n., *cephalothorace piceo, oculis mediis in quadratum dispositis; pedibus ita: I, II, IV, III, longitudine se excipientibus, cum palpis ferrugineo-piceis et pallido-annulatis; abdomine olivaceo-nigro, transverso, latissimo, semicirculato-triangulo fere, antice latissime sub-truncato, lateribus primum (pone tubercula fortia sub-humeralia foras et anteriora versus directa) pæne rectis et parallelis, præterea vero leviter rotundatis posteriora versus cito angustato, dorso elevationibus humilibus et obtusissimis nitidis ad partem magnis valde inæquali et cicatricibus ad partem magnis sparso, quarum 9—11 secundum marginem anteriorem dorsi dispositæ sunt (horum 5 mediæ in seriem procurvam ordinatæ), et 6 secundum medium dorsi in series duas longitudinales posteriora versus divaricantes et paullo incurvas ordinatæ. — ♀ ad. Long. circa $6^1/_2$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* sat humilis, ante declivitatem posticam ad longitudinem vix, transversim vero modice convexus, æque longus ac tibia cum patella 4[i] paris, paullulo latior quam longior, in lateribus partis thoracicæ fortiter rotundatus, antice utrinque fortiter sinuatus, parte cephalica brevi, non elevata. Frons truncata est, in medio tamen (tuberculo oculorum mediorum truncato) prominenti; latitudo ejus dimidiam latitudinem partis thoracicæ paullo superat. Impressiones cephalicæ evidentes sunt; utrinque versus margines partis thoracicæ foveis nonnullis magnis sed non profundis inæqualis est cephalothorax, præterea satis æqualis, lævis, nitidus et glaber. *Oculi* 4 medii, in quadratum ordinati, tuberculo magno sub-quadrato impositi sunt; laterales bini, spatio modo minuto separati, tuberculo parvo sed sat prominenti sunt impositi. Oculi medii antici, spatio diametrum suam æquanti a margine clypei remoti, mediis posticis paullo majores sunt. Spatia, quibus oculi medii antici inter se et a mediis posticis distant, oculi medii antici diametrum æquant vel parum superant: oculi medii postici vero spatio paullo majore sunt sejuncti. Oculi laterales fere triplo longius a mediis ejusdem serici quam hi inter se distant. *Sternum* paullo longius quam latius, sub-triangulum, antice late truncatum, in lateribus modo leviter rotundatum; læve et nitidum est, parce pilosum, tuberculis ad basin coxarum vix ullis.

Mandibulæ saltem dimidio longiores quam latiores, in dorso ad basin satis convexæ et hic femoribus anticis evidenter crassiores, a basi ad apicem sensim paullo angustatæ, læves, nitidissimæ, intus pilosæ. *Maxillæ* parum longiores quam latiores, rotundatæ, intus sub-truncatæ et dense ciliatæ. *Labium* non parum latius basi quam longius, pæne semicirculatum, sulco transverso prope basin. *Palpi* breves et graciles, præsertim versus apicem pilis fortibus sparsi. *Pedes* quoque graciles et breves dicendi; femora anteriora subter et antice tuberculis humillimis piliferis inæqualia sunt, tibiæ (quæ ut patellæ supra deplanatæ videntur) et metatarsi eodem modo supra paullo sunt inæquales. Sat dense pilis fortibus sparsi sunt pedes, aculeis carentes. Pedes anteriores pedibus 4[i] paris non parum longiores sunt. *Abdomen* pæne duplo latius quam longius, semicirculato-triangulum fere, non altum, pæne glabrum; antice latissime truncatum (parum rotundatum) est et in medio, ubi partem thoracicam tegit, satis late emarginatum; paullo pone et sub angulis anticis tuberculum sat forte, conicum, foras et paullo anteriora versus directum format margo abdominis. Ab his tuberculis primum (breviore spatio) lateribus parallelis et rectis, dein leviter rotundatis posteriora versus fortissime angustatum est abdomen, apice late rotundato; in ipso dorso parum convexum est, in lateribus et postice vero prærupte declive. Elevationibus magnis humilibus et obtusissimis nitidis (quæ tamen tubercula vix dici possunt) supra valde inæquale est, quarum quæ secundum marginem anticum sunt dispositæ non ita magnæ sunt secundum partem emarginatam ejus immo parvæ dicendæ; in medio vero dorsi tres elevationes ejusmodi magnæ seriem longam transversam formant, et pone mediam earum, prope declivitatem posticam, aliam elevationem magnam transversam ostendit abdomen, præterea elevationibus minoribus sparsum. Prope medium marginis antici series procurva cicatricum 5 magnarum conspicitur, et pone eas secundum medium dorsi 6 cicatrices magnæ (quarum posticæ reliquis minores sunt) in series duas longitudinales posteriora versus divaricantes et paullo incurvas sunt dispositæ; secundum margines laterales antice, ad tubercula illa sub-humeralia, aliæ binæ vel ternæ cicatrices

adsunt, cum sequentibus parvis seriem marginalem utrinque formantes. Etiam aliis cicatricibus parvis et punctis impressis sparsum est abdomen. Venter transversim plicatus. *Vulva* ex lamina parva deorsum directa pæne quadrata piceo-ferruginea constat.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum* et *partes oris* picea, *palpi* ferrugineo-picei, pallido-annulati. *Pedes* quoque ferrugineo-picei, ferrugineo-testaceo-annulati: femora et tibiæ binos annulos pallidos angustiores ostendunt, metatarsi annulos binos latos sed minus evidentes, tarsi basi et apice pallidiores sunt. *Abdomen* olivaceo-nigrum est totum, cicatricibus nigris, nonnullis earum in medio ferrugineo-piceis.

Lg. corp. pæne $6^2/_3$ millim. Lg. cephaloth. $2^1/_2$, lat. ej. paullo plus $2^1/_2$; lg. abd. $5^3/_4$, lat. ej. $9^1/_2$ millim. Ped. I $7^1/_2$, II $6^3/_4$, III circa $4^1/_2$, IV $5^1/_2$ (pat. + tib. $2^1/_2$) millim. longi.

Feminam, quam singulam vidi, in ins. Nicobare Minore inventa est (G.).

Gen. **Plectana** (Walck.), 1841.

38. ***P. Hasseltii*** (C. L. Koch).

Syn.: 1838. *Gasteracantha Hasseltii*, C. L. Koch, Die Arachn., IV, p. 29, Tab. CXVI, fig. 267.
1879. » *propinqua*, Cambr., On some new and little known spec. of Aran., with remarks on the gen. Gasteracantha, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1879, p. 288, Pl. XXVII, fig. 16.

Feminas nonnullas in ins. Pinang collectas ad me misit Mus. Zool. Hauniense. Ad synonyma hujus speciei antea a me enumerata *G. propinqua*, Cambr., addenda certe est, quum non nisi spinis mediis abdominis solito longioribus a »*G. Hasseltii*» differre videatur. Satis jam constat, has spinas non tantum in *P. Hasseltii*, verum etiam in aliis *Plectanis* et *Gasteracanthis* ad longitudinem valde variare: nuper exempla *G. Doriæ*, Sim., ad Singapore a Cel. Workman collecta vidi, quæ spinas medias abdominis multo longiores (sed non crassiores) quam in exemplis Borneensibus habent, metatarsum cum tarso 4^i paris longitudine saltem æquantes.

P. Hasseltii species per maximam partem Asiæ meridionalis vulgaris videtur.

Gen. **Gasteracantha** (Sund.), 1833.

39. ***G. fornicata*** (Fabr.).

Syn.: 1781. *Aranea fornicata*, Fabr., Spec. Ins., I, p. 451.

Feminam hujus speciei, eam quoque ex ins. Pinang, communicavit Mus. Zool. Haun. Tota nigra est, cephalothorace et abdomine cinerascenti-pilosis. Differt a formis ordinariis (e. gr. ex Java) spinis abdominis mediis paullo longioribus (scutum abdominis longitudine æquantibus) fortiusque retro curvatis, ut in figura *G. milvoidis*, Butl.,[1] et in fig. 11[c] *G. formosæ* (Vins.) Cambr.[2], sed magis cylindratis, non adeo gradatim apicem versus angu-

[1] Butler, List of the species of Gasteracantha, or Crab spiders, *cet.*, in Transact of the Entom. Soc. of London, 1873, Pl. IV, fig. 2.

[2] Cambridge, On some new and little known spec. of Araneidea, with remarks on the Gen. Gasteracantha, loc. cit., p. 285, Pl. XXVI, figg. 11—11[c]. — Cel. Cambridge *G. fornicatam* eandem esse speciem ac *G. formosam*, Vinson, suspicatur.

statis; scutum dorsuale paullo longius (6 millim. longum, pæne 16 millim. latum) quam in illis videtur, et spatium inter sigilla centralia posteriora evidentissime minus est quam sunt spatia, quibus distant hæc sigilla a sigillo interiore duarum lateralium posteriorum utriusque lateris: in reliquis exemplis paucis a me visis spatium illud his spatiis majus vel saltem non minus est. — *G. fornicata* in India et in ins. Taprobane (Ceylon) inventa est, præter in Indo-malesia (Borneo, Sumatra, Java, Pinang).

40. ***G. vittata,*** Thor.

Syn.: 1860. *Gasteracantha vittata*, Thor., Nya exotiska Epeirider, *in* Öfvers. af K. Vet.-Akad. Förhandl., XV (1859), p. 301.
1890. » » , id., Studi, *cet.*, IV, Ragni dell' Indo-malesia, *cet.*, I, loc. cit., p. 51.

Tria exempla feminea *G. vittatæ* (quæ saltem in Java, Borneo et Sumatra vitam degit), ad Sipoholon Sumatræ a D:re Klein capta, mecum communicavit Soc. Entomol. Hanniensis. Ab exemplis, quæ possideo, differunt vitta abdominis nigra posteriore minus distincta vel in medio abrupta, et spinis abdominis mediis paullo gracilioribus; maculæ ventris magis luteæ quam flavæ sunt, et ad partem oblongæ et in series obliquas utrinque ordinatæ.

41. ***G. diadesmia,*** Thor.

Syn.: 1887. *Gasteracantha diadesmia*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 225.

Mus. Zool. Haun. exempla pauca *G. diadesmiæ*, ♀, possidet, in ins. Pinang collecta. Præterea saltem in Birmania, in Siam et in insulis,quæ Andamanes vocantur, reperitur hæc species.

42. ***G. leucomelæna*** (Dol.).

Syn.: 1859. *Plectana leucomelas*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 42, Tab. XI, fig. 8.
1887. *Gasteracantha leucomelæna*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, oc. cit., p. 231.

Specimina feminea pauca ex ins. Nicobare Minore (G.) unumque ex Pinang nunc vidi (Mus. Zool. Haun.). Hæc species præterea in Sumatra, Java, Birmania, Siam et Cochinchina capta fuit.

43. ***G. cuspidata,*** C. L. Koch.

Syn.: 1837. *Gasteracantha cuspidata*, C. L Koch, Die Arachn., IV, p. 22, Tab. CXIV, fig. 264 (*ad partem*).

Exemplum parvum nondum adultum, quod ad Sipoholon Sumatræ cepit D:r P. A. Klein, hujus speciei haud dubie est, quamquam a junioribus *G. brevispinæ* (Dol.) ejusdem magnitudinis et eodem loco lectos vix alia nota distingui potest, quam quod summum cephalothoracis evidentissime in *duo* tubercula divisum habet. — *G. cuspidata* antea modo in Java inventa fuit.

44. ***G. brevispina*** (Dol.).

Syn.: 1837. *Gasteracantha cuspidata*, C. L. Koch, Die Arachn., IV, p. 22 (*ad partem*).
1857. *Plectana brevispina*, Dol., Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 423.

Species fere ubique in Asia meridionali et in multis partibus Australiæ communis; an modo varietas *G. cuspidatæ*, C. L. Koch, consideranda? — Ad multa ejus synonyma a me in Stud., *cet.*, IV, I, p. 63 allatos, secundum Cel. Simon [1] addendum videtur: *G. Canningensis*, Stol.[2]; quod jamdudum suspicatus eram [3].

[1] Stoliczka, Contrib. to the knowledge of Indian Arachn., *in* Journ. of the Asiatic Soc. of Bengal, XXXVIII, p. 248, Pl. XVIII, fig. 1.
[2] Arachn. recueillis aux îles Andaman par M. R. D. Oldham, ibid., LVII, Part II, N:o 3 (1887), p. 285.
[3] Vid Thor., Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 294.

In ins. Nicobarium hæc species vulgaris videtur: Mus. Haun. multas feminas possidet in Kar Nicobare, Terressa, Kamorta et Nicobare Minore collectas (G.). Juniores feminas ad Sipoholon Sumatræ a D:re KLEIN captas communicavit Soc. Ent. Hauniensis.

Marem adultum minutum examinavi (in Singapore a Cel. WORKMAN captum), quem *G. brevispinæ* credo, et quem breviter hic describam, quum mas hujus speciei ignotus sit et mares modo paucissimarum (8) formarum generum *Plectanæ* et *Gasteracanthæ* adhuc sint inventi [1]:

MAS *ad.* — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, utrinque paullo ante medium leviter sinuato-angustatus, parte thoracica in lateribus sat fortiter rotundata, postice in medio late emarginata, parte cephalica eà paullo breviore et angustiore, lateribus pæne rectis primum, usque ad oculos laterales, anteriora versus sensim sat leviter angustata, dein vero spatio desuper viso æque fere longo, et usque ad oculos medios anticos, lateribus leviter concavatis sensim fortiter angustata, anterius igitur triangulo-acuminata, tuberculo oculorum mediorum anticorum fortiter prominenti tamen truncato. A latere visus cephalothorax sat altus est, dorso a margine postico usque paullo ante medium secundum lineam primum rectam sat fortiter assurgenti, tum usque ad oculos medios fere æque fortiter proclivi, parte media (altissima) dorsi convexa. Pars cephalica, transversim parum convexa, sulcum medium longitudinalem sat latum ostendit, et pone eum fovea ordinaria centralis magna et rotundata conspicitur; saltem anterius granulis conspersus et paullo pilosus videtur cephalothorax. *Oculi* 4 medii sub-æquales aream rectangulam vel parum latiorem antice quam postice, et paullo longiorem quam latiorem occupant; desuper visa series oculorum postica fortiter, series antica fortissime recurva est. *Sternum* sat crasse granulosum, opacum.

Mandibulæ paullo reclinatæ, circa duplo longiores quam latiores, in dorso pæne rectæ et transversim paullo striatæ. *Palpi* breves, clava maxima, femoribus anticis fere duplo latiore. Pars patellaris æque longa et lata est, pars tibialis eà paullo brevior sed multo latior, latere exteriore in medio in procursum rectum obtusum pallidum, non multo longiorem quam latiorem, dimidiam diametrum partis tibialis longitudine non æquantem, foras paulluloque retro et deorsum directum producto. Pars tarsalis, quæ oblonga, subovata et basi late et fortiter convexa est, ad ipsam basin procursu corneo sat brevi et lato nigro foras directo est prædita, cujus apex acuminatus anteriora versus directus est. Bulbus maximus non multo complicatus videtur (?). *Pedes* breves; parce pubescentes et pilosi sunt, aculeis vix ullis. *Abdomen* paullo latius quam longius, spinis carens, scuto dorsuali pæne semi-circulato, parte abdominis postica desuper visa brevissima et late truncata: scutum enim antice secundum lineam bis retro fractam amplissime rotundatum est, lateribus posterius pæne parallelis et rectis vel potius paullo sinuatis, ita ut anguli postici recti vel sub-acuminati paullulo foras prominentes dici possint. Sigilla dorsualia marginalia (17) et centralia (4) omnia parva sunt. Cono ventrali caret abdomen; etiam annulo anali distincto carere videtur.

---

[1] Cel. SIMON nuper marem (adultum?) *G. unguiferæ*, n. sp., paucis descripsit: vid. SIMON, Études sur les Arachnides de l'Himalaya recueillis par M. M. OLDHAM et WOOD-MASON et faisant partie des collections de l'Indian Museum (Calcutta). 1re Partie, *in* Journ. of the Asiatic Soc. of Bengal, LVIII, Part II, N:o 4, p. 336.

Color. — *Cephalothorax* niger est, antice late rufescens vel ferrugineus et pilis albis sparsus, area oculorum mediorum nigricanti. *Sternum* testaceo-fuscum, vestigiis maculæ flaventis antice et pone eam lineæ mediæ longitudinalis nigræ. *Mandibulæ* pallide ferrugineæ. *Maxillæ* et *labium* sub-ferruginea. *Palpi* flavo-testacei, parte tarsali sub-fusca, bulbo ad maximam partem nigro. *Pedes* quoque flavo-testacei, femoribus 1^i paris apice latissime nigris, femoribus 4^i paris quoque apice late nigris; præterea pedes hic illic (in apicibus internodiorum nonnullorum) angustissime sub-fusco-annulati sunt. *Abdomen* supra sordide testaceum est, punctis impressis (sigillis) fuscis, et macula parva nigricanti ad utrumque angulum posticum scuti dorsualis; subter secundum medium obscurius est, maculis duabus rotundatis flavis non multo ante mamillas sitis.

Long. corp. paullo plus $1^1/_2$ millim.

Trib. CITIGRADÆ.

Fam. **Lycosoidæ** [1].

Subfam. *Lycosinæ.*

Gen. **Dolopoeus** [2], n.

Cephalothorax longior quam latior, sat humilis, dorso pæne recto vel in medio depresso, fronte satis angusta, clypeo alto, prærupte proclivi, longitudinem areæ oculorum mediorum altitudine fere æquanti.

Area oculorum pæne lunata: series eorum antica fortiter sursum et retro curvata est, series postica eâ multo longior, sat fortiter recurva. Oculi laterales antici, reliquis oculis magnis multo minores sed, ut ii, rotundi, non multo longius ab oculis mediis posticis quam a mediis anticis distant, cum illis seriem fortiter deorsum curvatam formantes; oculi medii fere in quadratum dispositi sunt.

Sternum non longius quam latius.

Mandibularum sulcus unguicularis in margine inferiore serie dentium fortium 3 armatus.

Maxillæ labio circiter duplo longiores, convexæ, basi angustæ, apice intus latissime et valde oblique truncatæ, latere exteriore versus apicem cum hoc apice fortiter et ample rotundato.

Labium æque saltem latum basi ac longum, apice late truncatum.

Pedes longiores, vix scopulati, ita: IV, II, I, III longitudine se excipientes, aculeis mediocribus crebris armati; unguiculi tarsorum terni.

---

[1] *Lycosoides*, Gourr., nomen *generis* quidem est (vid. Gourret, Recherches sur les Arachn. tertiaires d'Aix en Provence, *in* Revue Zoologique Suisse, IV (1887, p. 443), sed præoccupatum est hoc nomen (*Lycosoides*, Lucas, 1842 (?), ad max. part. = *Textrix*, Sund., 1833, ideoque rejectum). Genus *Lycosoides*, Gourr., *Trimeropus* appellari potest, propter tarsos tri-articulatos. — In opere illo genera alia nova descripsit Cel. Gourret, quorum unum *Hersilioides*, aliud *Eresoides* vocatur!

[2] δολοποιός, astutus, dolosus.

Abdomen longius sub-ovatum.

Mamillæ breves, superiores inferioribus vix vel non longiores, art. 2° brevi, crasso, obtuso.

Typus: *D. cinctus*, N.

Subfamiliæ *Cteninarum* [1] hoc genus adscribi forsitan posset, ad dispositionem oculorum cum *Argocteno*, L. Koch [2] — qui tamen unguiculis tarsorum modo binis est præditus — valde conveniens, clypeo altissimo, oculis lateralibus anticis sat magnis, rotundis et evidenter paullo longius a mediis posticis quam a lateralibus anticis remotis a Cteninis differens et, ut nobis quidem videtur, magis *Dolomedi* et *Pisauræ* (*Ocyali*) affine.

45. ***D. cinctus***, N., *cephalothorace ferrugineo-fusco, fascia lata alba in lateribus cincto; pedibus pallide testaceo-fuscis; abdomine secundum medium dorsi latissime cinereo-fusco vel -ferrugineo, lateribus etiam dorsi albis.* — ♀ *ad. Long. circa 16½ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, tibiam 3ⁱⁱ paris longitudine æquans, utrinque antice, supra basin palporum, modice sinuatus; pars thoracica in lateribus amplissime et fortiter rotundata est, postice sat late emarginato-truncata; pars cephalica brevis lateribus rectis anteriora versus paullo angustata est, frons vel potius clypeus truncatus, dimidiam partem thoracicam latitudine non æquans. Sat humilis est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quæ modice declivis et levissime convexa est et dimidium reliqui dorsi longitudine fere æquat) usque ad oculos medios

---

[1] Nullam speciem familiæ *Ctenoidarum* (Keys.) in collectionibus a Cel. Meinert, Sörensen et Workman mecum communicatis inveni; nulla mihi unquam innotuit formarum illarum hujus familiæ, quarum tarsi unguiculis *ternis* sunt præditi. Secundum Cel. Simon (Arachn. recueillis en Birmanie, *cet.*, in Ann. del Museo Civ. di Storia Nat. di Genova, XX, p. 329 (5)), hæ formæ »n'ont absolument rien de commun» cum Ctenoidis unguiculis tarsalibus *binis* instructis »qu'une certaine analogie dans la disposition des yeux»; illas cum *Dolomedinis* suis familiæ *Lycosoidarum* conjungit, has contra, ut voluit Cel. Bertkau quoque (Verzeichn. der von Prof. Ed. van Beneden auf seiner Reise nach Brasilien und La Plata gesammelten Arachn., *in* Mém. cour. et Mém. d. savants étrangers, XLIII, p. 55) a Lycosoidis longe removet, subfamiliam *Cteninas* in fam. *Drassoidarum* ad eas recipiendas condens. Mihi quidem species hujus subfamiliæ a me visæ Lycosoidis genuinis valde affines videntur, etsi binis unguiculis in tarsis et præsentia fasciculorum unguicularium ab his araneis discrepant. Hæc enim nota, ut fere omnes, quæ re vera maximi momenti sunt, *interdum* magnam valoris sui partem perdit: in eadem familia numerum unguiculorum interdum variare posse, monent genera *Dysdera* et *Harpactes*, ut *Dictis* et *Scytodes*; immo nonnunquam, ut in *Dasumia tæniifera*, Thor., in una eademque aranea pedes anteriores fasciculis unguicularibus carent et ternis unguiculis muniti sunt, dum pedes posteriores modo binos unguiculos habent et fasciculis unguicularibus sunt instructi. — Subfamiliam *Cteninarum*, Sim., accipio, eam tamen *Lycosoidis* subjungens; utrum »Ctenoidæ» etiam *tri*-unguiculatæ ad hanc subfamiliam, an ad *Lycosinas* sint referendæ, non satis mihi constat. *Thasyræa*, L. Koch, sedis incertæ quoque esset, si quidem propter unguiculos tarsorum modo *binos* a Lycosoidis removeri deberet; gen. *Perenethi*, L. Koch, affinis videtur, quod genus *ternos* unguiculos in tarsis habet. (*Perenethis venusta*, L. Koch, eadem species certe est ac *Dolomedes uni-fasciatus*, Dol., et *Perenethis uni-fasciata* (Dol.) igitur appellanda).

Quum, ut Cel. Simon (Bull. de la Soc. Ent. de France, Séance du 28 Sept. 1887, p. CLVIII) detexit, genus Americanum *Acanthoctenus*, Keys., *cribello* et *calamistro* præditum sit ideoque, etsi *Cteninis* veris simillimum, ab hac subfamilia removeri aliique familiæ subjungi debeat, ad species illas Asiaticas recipiendas, quas ad *Acanthoctenum* retuli et quæ organis illis carent, novum Cteninarum genus est creandum, quod *Acantheis* vocari potest (ἀκανθήεις, aculeatus). De his formis vid. Thor., Aracnidi di Nias, *cet.*, in Annali del Museo Civico di St. Nat. di Genova, Ser. 2ª, X, p. 34 (*A. variatus*, Thor.); — id., Diagn. Aran. aliquot nov. in Indo-malesia inventarum, ibid., p. 134 (3) (*A. dimidiatus*, Thor.; *A. lætus*, id.). — Benevolentia Cel. Simonis nuper exemplum Americanum *Acanthocteni* examinare potui: *Acantheis* parum sane ab hoc genere nisi defectu cribelli et calamistri differt! Quæ res ea quoque argumento est, organa illa tanti ponderis in systemate Aranearum nullo modo esse, ac voluerunt e. gr. Cel. Bertkau et Simon.

[2] Die Arachn. Austral., pp. 997 et 990, Tab. LXXXVI, figg. 5—5ᶜ.

posticos librato, non plane recto sed in medio paullo depresso, vel potius primum usque ad partem cephalicam paullulo proclivi, dein paullulo assurgenti. Area oculorum mediorum sat fortiter proclivis est, clypeus etiam fortius proclivis (non directus). Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos horum oculorum diametro plus duplo, pæne triplo majus est. Impressiones cephalicæ satis obsoletæ; sulcus ordinarius centralis sat longus et profundus, ut linea impressa longe retro productus. *Oculorum* duæ series adeo recurvæ sunt, ut etiam in tres vel quattuor series dispositi dici possint oculi, serie secunda (oculis lateralibus anticis) tum fere æque longe a serie 1ª et a serie 3ⁱᵃ remota. Oculi laterales postici magni, mediis posticis (qui mediis anticis paullulo minores sunt) non parum majores, callo lato humili, usque ad oculos laterales anticos pertinenti, extus impositi: hi oculi mediis anticis circa duplo sunt minores. Oculi medii pæne in quadratum vel in rectangulum parum longiorem quam latiorem dispositi sunt; spatium inter medios anticos, ut inter medios posticos, dimidiam eorum diametrum paullo superat; spatia inter medios anticos et posticos horum diametrum pæne æquat, et æque magnum est ac spatium, quo medii postici a lateralibus anticis distant. Oculi laterales antici spatio paullulo minore (oculi lateralis diametrum circiter æquanti) a mediis anticis quam hi inter se remoti sunt: paullo longius igitur a mediis posticis quam a mediis anticis distant, et etiam paullo longius ab oculis lateralibus posticis, spatio horum oculorum diametrum circiter æquanti, ab iis separati. Oculi laterales postici circa duplo longius a mediis posticis quam hi inter se distant. *Sternum* paullulo latius quam longius, antice sat late truncatum, præsertim postice et in lateribus posterius fortiter rotundatum, in medio postice brevissime acuminatum.

Mandibulæ longitudine patellarum 3ⁱⁱ paris sunt, femora anteriora latitudine pæne æquantes, pæne duplo et dimidio longiores quam latiores, apice oblique truncatæ, in dorso sat leviter convexæ; sulcus unguicularis postice serie dentium fortium 3 armatus est, antice versus basin 2 dentibus (anteriore sat forti), et ante eos, ut videtur, aliis duobus dentibus minutis instructus. *Maxillæ* non parum longiores quam latiores, fere ovatæ, latere interiore paullo incurvo, apice intus late et valde oblique truncatæ. *Labium* iis paullo plus duplo brevius, sub-quadratum, a basi ad apicem late truncatum sensim paullulo angustatum. *Palpi* mediocres, ut pedes pilosi et aculeati; unguiculus palporum dentibus 3—4 versus basin pectinatus est. *Pedes* longi, 4ⁱ paris reliquis modo paullo longiores, 2ⁱ paris parum longiores quam sunt 1ⁱ paris pedes. Modice robusti sunt pedes, apicem versus sensim attenuati, femoribus pæne cylindratis, parum fusiformibus, tibiis omnibus metatarsum longitudine superantibus. Aculeis mediocribus crebris armati sunt; femora e. gr. 1ⁱ paris 13 aculeos breviores habent, patellæ omnes aculeum in utroque latere et præterea aculeum apice supra; tibiæ undique, metatarsi subter et in lateribus aculeati sunt: in tibiis anterioribus, e. gr., subter 2. 2. 2. aculei longi et præterea apice 2. breves adsunt, antice et postice 1. 1. aculei, supra aculeus 1; metatarsi anteriores subter 2. 2. 2. 2. (apicales duos breves) et utrinque 1. 1. aculeos ostendunt. Unguiculi superiores sat longi, dentibus nonnullis (7—8) sat longis pectinati; unguiculus inferior parvus, ad ipsam basin subito deorsum flexus et, ut videtur, dente singulo gracili præditus. *Abdomen* pæne duplo longius quam latius, anguste ovatum, antice in medio subretusum. Area vulvæ sat magna; ex callis duobus nitidis fuscis, postice crassis et hic

parallelis et inter se contingentibus, dein sensim angustioribus et humilioribus constat, qui paullo ante basin cito foras fracti et divaricantes sunt, præterea vero incurvi et foveam magnam sat profundam, rotundatam et transversam includentes. *Mamillæ* breves, art. 2° superiorum, quæ inferioribus vix longiores sunt, sub-conico, obtuso, breviore quam latiore basi.

Color. — *Cephalothorax* in fundo pallide fuscus est, fascia marginali latissima alba e pube tenui appressa formata utrinque cinctus, præterea pube tenui appressa aureo-fusca tectus; clypeus quoque pube albicanti sed minus densa est vestitus. *Sternum* (ut *maxillæ* et *labium*) cinerascenti-testaceum est, pallide cinerascenti-pubescens et -pilosum. *Palpi* et *pedes* pallide cinereo-fusci, pube tenuissima albicanti dense vestiti; aculei fusci vel nigri, ad partem punctis nigris impositi. *Abdomen* in fundo superius nigricans; supra pube densissima cinerascenti-fusca vel -ferruginea tectum est, in lateribus vero pube ejusmodi albissima, ita ut dorsum, in medio late cinerascenti-fuscum, desuper visum fascia lata alba utrinque ornatum videatur; venter magis cinerascens, obscurior secundum medium quam versus latera. *Mamillæ* pallide cinerascenti-testaceæ.

Lg. corp. $16^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. $7^3/_4$, lat. ej. $6^3/_4$, lat. front. (clypei) $3^1/_4$; lg. abd. 9, lat. ej. 5 millim. Ped. I 36, II $36^1/_4$, III 32, IV $37^1/_4$ (pat. + tib. $12^1/_2$) millim. longi.

Femina singula supra descripta in ins. Kamorta inventa est (G.).

Gen. **Dendrolycosa** (Dol.), 1859.

46. ***D. gracilis***, n., *cephalothorace testaceo-nigricanti, fasciis longitudinalibus tribus pallidioribus plus minus distinctis plerumque notato; serie oculorum antica seriem ex oculis duobus mediis posticis formatam longitudine modo æquanti; oculis mediis aream magnam transversam plus duplo latiorem postice quam antice occupantibus, mediis posticis circa dimidio longius inter se quam a lateralibus posticis remotis; pedibus pallide fusco-testaceis, tarsis pedum anteriorum longissimis quidem, sed metatarsum non longitudine superantibus; abdominis dorso obscure testaceo vel flaventi et antice fascia media longitudinali postice acuminata nigricanti notato, posterius vero ordinibus duobus longitudinalibus macularum rotundatarum nigrarum ternarum, qui ordines sua quisque linea vel plaga pallida sub-undulata extus limitati sunt. — ♀ ad. Long. circa $5^3/_4$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, paullo brevior quam tibia 4^1 paris, in lateribus amplissime et fortiter rotundatus, postice truncatus et in medio emarginatus, parte cephalica brevi, antice truncata, clypei latitudine dimidiam partis thoracicæ latitudinem saltem æquanti; impressiones cephalicæ distinctissimæ sunt, sulcus ordinarius centralis sat longus et fortis. Sat humilis est cephalothorax, dorso, a latere viso, a declivitate postica modice longa et superius convexa anteriora versus sensim paullo proclivi et paullo pone medium leviter depresso, versus oculos paullo convexo, area oculorum mediorum fortius proclivi, clypeo pæne directo et humili: spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos eorum diametro vix duplo majus est. *Oculi* 4 postici pæne æquales, magni, circa duplo majores quam oculi medii antici, qui lateralibus anticis multo, fere duplo, majores sunt. Oculi 4 postici seriem formant longam et fortissime recurvam,

oculi 4 antici vero seriem levissime deorsum curvatum, pæne rectam: hæc series brevissima est, vix vel non longior quam series, quæ ab oculis duobus mediis posticis formatur. Spatium inter oculos medios posticos oculi diametro saltem triplo majus videtur, et circa dimidio majus quam intervallum, quo medii postici a lateralibus posticis remoti sunt, hoc intervallo oculi diametro fere duplo majore. Oculi medii antici spatio oculi diametrum circiter æquanti sunt separati: a lateralibus anticis spatiis plus duplo minoribus, oculi lateralis diametrum non æquantibus, sejuncti sunt. Area oculorum 4 mediorum trapezium maximum formant, quod plus duplo latius postice quam antice est, et multo latius postice quam longius, sed multo longius quam latius antice. Spatium inter oculos binos laterales fere duplo majus est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, his spatiis diametro oculi medii postici circiter dimidio majoribus. *Sternum* sub-orbiculatum, antice satis anguste truncatum, postice breviter acuminatum.

Mandibulæ femoribus anticis paullo crassiores, paullo plus duplo longiores quam latiores, in dorso æqualiter et modice convexæ. Sulcus unguicularis et antice et postice plerumque 3 dentibus mediocribus armatus videtur: in exemplo tamen uno (juniore) modo altera mandibularum hoc modo armata est, sulcus unguicularis alterius mandibulæ contra et antice et postice *quinque* dentibus est munitus![1] *Maxillæ* parallelæ, plus dimidio longiores quam latiores, in latere exteriore versus apicem cum angulo hujus exteriore fortiter rotundatæ, apice intus oblique truncatæ; *labium* dimidia maxilla paullo longius, paullo longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* longi, aculeis multis gracilibus armati; pars femoralis subter serie pilorum longorum instructa fuisse videtur. *Pedes* graciles valde, tarsis præsertim gracillimis; anteriores pedes, præsertim 1^{i} paris, longissimi sunt, 3^{ii} paris contra breves. Tarsi longi, in pedibus anterioribus longissimi et metatarso longissimo modo paullo breviores; in pedibus posterioribus metatarso tamen multo breviores sunt. (In exemplo juniore tarsus 1^{i} paris metatarsum longitudine æquare videtur). Aculeis crebris gracilibus, ad maximam partem longis, in tibiis et metatarsis omnium longissimis, armati sunt pedes. Unguiculi superiores sat magni, in dorso leviter convexi, dentibus multis densis sat longis et gracilibus pectinati; unguiculus inferior gracilis, subito deorsum flexus, ut videtur inermis. *Abdomen* cylindrato-ovatum, plus duplo longius quam latius, antice truncatum. *Vulva* ex area oblonga sub-ovata paullulo elevata fusca constat, quæ sulco medio longitudinali, antice paullo abbreviato, posteriora versus sensim paullulo dilatato persecta est. *Mamillæ* breves, superiores multo angustiores sed vix vel parum longiores quam mamillæ inferiores, articulo 1° cylindrato et fere duplo longiore quam latiore, art. 2° parvo, obtuso, breviore quam latiore.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-nigricans, margine laterali nigro et fasciis longitudinalibus tribus testaceis notatus, quarum media præsertim antice distincta est et hic dilatata, laterales vero angustæ et plus minus obsoletæ. *Mandibulæ* fusco-testaceæ. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* pallide fusco-testacea, ut *palpi* et *pedes*, quorum aculei pallidi vel sub-fusci ad partem punctis fuscis impositi sunt; summus apex patellarum, tibiarum et metatarsorum interdum paullo infuscatus videtur; interdum (saltem in junioribus) femora vestigia macularum vel annularum nigricantium ostendunt. *Abdomen* supra sordide te-

[1] In exemplo *Dolomedis plantarii* (Clerck) margo inferior sive posterior sulci unguicularis alterius mandibulæ dentibus 4, alterius vero 5 dentibus est munitus.

staceum vel flavens et subtiliter nigro-reticulatum est, antice fascia media longitudinali sub-fusiformi nigricanti, ad medium dorsi pertinenti et in medio utriusque marginis paullo dilatata sive macula nigricanti aucta, notatum; utrinque in dimidio suo posteriore dorsum seriem longitudinalem macularum majorum rotundatarum nigrarum trium ostendit, quæ series extus linea undulata pallida limitatæ sunt. In uno exemplo (juniore) fascia dorsi media antica obscura ut linea media inæqualis usque ad anum est continuata, et lineæ undulatæ pallidæ, quæ series illas duas macularum nigrarum dorsi extus limitant, in plagas magnas albicantes, partem laterum posteriorem ad magnam partem occupantes dilatatæ. Latera abdominis nigricantia sunt, vitta obliqua pallida plus minus distincta posterius notata. Venter nigricans vel testaceo-cinerascens; *mamillæ* testaceæ vel fusco-testaceæ.

Lg. corp. $5^3/_4$ millim. Lg. cephaloth. pæne $2^2/_3$, lat. ej. 2, lat. clypei parum plus 1; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. $1^1/_2$ millim. Ped. I $17^1/_2$, II $14^1/_2$, III circa 7, IV $13^3/_4$ (pat. + tib. 4) millim. longi.

Femina singula adulta et juniores duæ valde mutilatæ et detritæ in insula Kamorta inventæ sunt (G.).

Gen. **Lycosa** (Latr.) 1804.

47. ***L. pusiola,*** Thor., *cephalothorace circa* $^1/_3$ *longiore quam latiore, tibiam cum patella 4i paris longitudine fere æquanti, in fundo fusco-testaceo, fasciis duabus sat latis nigro-fuscis (interstitio inter eas fasciam pallidam sat latam et ante sulcum centralem dilatatam formanti) et linea nigro-fusca paullo supra margines laterales nigros ducta ornato; sterno fusco-testaceo, interdum (in ♂) plaga geminata nigra notato; palpis maris nigris, basi late testaceis; pedibus læte fusco- vel sub-olivaceo-testaceis; abdominis dorso secundum medium sat late testaceo- vel pallide olivaceo-fusco et antice fascia longitudinali brevi et angusta pallidiore ornato, in lateribus nigro vel nigricanti, et posterius ordinibus duobus versus anum appropinquantibus macularum parvarum albarum notato, ventre pallido, albo-pubescenti; vulva ex area parva cornea constanti, quæ tuberculis duobus humilibus nigris postice munita est. — ♂ ♀ ad. Long. circa 6 millim.*

Hujus speciei, jam antea in Sumatra inventæ, feminam adultam ad Kaju tanam cepit D:r Klein.

48. ***L. thalassia,*** n., *cephalothorace in fundo nigro vel fusco, dense sub-olivaceo- vel fusco-pubescenti, fasciis tribus pallidioribus notato, quarum duæ supra-marginales sub-testaceæ sunt et, ut margo lateralis et clypeus, pube alba tectæ, fascia media minus distincta, lata, pone oculos dilatata, pube pallidius sub-olivacea tecta; sterno nigro vel pallido; palpis maris, basi excepta, nigris, partibus patellari et femorali, basi hujus excepta, albo-, partibus tibiali et tarsali vero dense nigro-pilosis; pedibus totis pallide olivaceo- vel fusco-testaceis, annulis et maculis nigris carentibus; abdominis dorso antice, intus, lineolis duabus longitudinalibus albis et pone eas maculis duabus parvis albis notato, posterius vero lineis angustis transversis albis, saltem in mare in maculas et lineolas abruptis; ventre pallido; vulva ex area cornea sat parva transversa rectangula (modo antice leviter rotundata) constanti, quæ*

sulcum medium profundum et latissimum, septo persectum, antice rotundatum, postice dilatatum et apertum ostendit. — ♂ ♀ *ad. Long.* ♂ *circa* $6^1/_2$, ♀ *circa 9 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullo brevior est quam tibia cum patella 4^i paris, pæne dimidio longior quam latior, non utrinque sinuatus sed lateribus in parte thoracica ample et fortiter rotundatis, dein vero pæne rectis anteriora versus sensim fortiter angustatus, fronte truncata igitur angusta, latitudine vix $^1/_3$ latitudinis partis thoracicæ æquanti (latitudo clypei dimidiam hanc latitudinem pæne æquat); dorsum ante declivitatem posticam rectum est, modo area oculorum 4 posteriorum sat leviter proclivi; facies directa, paullulo latior quam altior, infra paullo latior quam supra, ubi transversim leviter convexa est, lateribus præruptis, pæne directis, et modo leviter convexis. Area *oculorum* æque longa ac lata videtur; series eorum antica multo (circa diametro oculi singuli seriei mediæ) brevior est quam series media, sat leviter deorsum curvata; oculi medii seriei anticæ prominentes sunt et lateralibus paullo majores, et spatio circa dimidio majore (oculi diametrum pæne æquanti) a lateralibus anticis quam inter se remoti. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei eorum diametro circa duplo majus est et oculi seriei mediæ diametrum fere æquat: non parum majus est quam spatia, quibus hi oculi a mediis anticis sunt separati, quæ spatia diametro oculorum mediorum anticorum paullo majora sunt. Trapezium, quod formant oculi 4 posteriores, dupla oculi postici (seriei $3^{iæ}$) diametro latius est postice quam antice, et pæne æque longum ac latum antice; spatium inter oculos duos seriei mediæ eorum diametro paullulo majus est; ab oculis duobus posticis, quibus vix duplo sunt majores, spatiis etiam paullo majoribus separati sunt hi oculi.

Mandibulæ parum reclinatæ, altitudinem faciei longitudine non parum superantes, patellis anticis vix longiores, femoribus anticis multo angustiores, in dorso pæne rectæ; sulcus unguicularis antice 2, postice 3 dentibus armatus est. *Palpi* mediocres, clava femoribus anticis parum angustiore; pars patellaris fere dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà non parum longior, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, saltem dimidio longior quam latior apice, et pilis densis, apicem versus sensim longioribus et magis patentibus vestita (cum his pilis apicem versus fortius dilatata et parte tarsali parum angustior videtur). Pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine saltem æquat, partis tibialis apice non parum latior, circa duplo longior quam latior; anguste ovata est, apice fortius angustato, præterea in lateribus satis æqualiter (non fortius in latere exteriore quam in interiore latere) rotundata. Bulbus modice altus, a latere visus fissura profunda paullo obliqua bipartitus: pars ejus anterior minor et humilior hoc modo visa quasi dentem magnum basi fortem deorsum directum formare videtur, pars posterior vero dentem parvum angustum rectum obtusum deorsum directum tum fere in medio ostendit. *Pedes* 4^i paris cephalothorace pæne $4^1/_2$ longiores sunt. Aculei plerique longi; patellæ omnes utrinque aculeum ostendunt, et præterea 1. 1. aculeos supra, in patellis posterioribus longos, in anterioribus parvos (horum saltem apicalis in anterioribus patellis interdum deesse videtur); tibiæ 4 anteriores subter 2. 2. 2 (apicalibus duobus tamen parvis), antice et postice 1. 1. aculeis, et supra versus basin seta forti munitæ sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1., præter apicalibus 4 minutis. Metatarsus 4^i paris tibiam cum patella longitudine æquat. *Abdomen* angustius et inverse ovatum, postice sub-acuminatum. *Mamillæ* superiores inferioribus non longiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus est, area inter-oculari nigra, et fasciis tribus longitudinalibus clarioribus notatus: fasciæ duæ laterales supra-marginales sunt, sub-testaceæ, sat latæ et æquales, in clypeum eum quoque pallidum continuatæ, fascia media fundo paullo clarior, lata, pone oculos fortiter dilatata, præterea fusiformis vel angustissime ovata fere et sulco ordinario centrali nigro persecta; fasciæ laterales, quæ tibias latitudine circiter æquant, pube alba sat densa tectæ sunt; præterea, sub iis, lineam tenuem pæne marginalem e pube alba formatam ostendit cephalothorax, spatio inter fasciam et lineam interjecto illam latitudine fere æquanti; etiam clypeus et genæ pube alba vestita sunt, et area inter oculos 4 posteriores antice, saltem inter oculos medios posticos sive seriei 2^{æ} et pone utrumque horum oculorum albo-pubescens, pube alba interdum lineolam parvam longitudinalem in medio areæ illius formanti quoque. Ceterum cephalothorax pube fusca vel sub-olivacea (etiam in fascia media) vestitus est. Pars anterior dilatata fasciæ mediæ, utrinque linea incurva pallida limitata, linea media longitudinali pallida interdum persecta est; pars ejus posterior in medio fascias laterales latitudine paullo superat. *Sternum* nigrum, albo-pilosum. *Partes oris* nigro-piceæ vel pallidiores, mandibulæ pallide olivaceo- vel sub-fusco-pilosæ. *Palpi* nigri, basi pallidiores; pars femoralis supra, basi excepta, albo-pubescens est, pars patellaris supra albo-pubescens quoque, partes tibialis et tarsalis contra dense nigro- vel fuligineo-pilosi et -pubescentes. *Pedes* toti pallide fusco- vel olivaceo-testacei, aculeis fuscis armati, paullo pallido-pubescentes et -pilosi. *Abdomen* in fundo supra nigrum est et paullo pallido-maculatum; venter totus cum lateribus pallidior et pube albicanti tectus. Dorsum abdominis pube fusca vestitum est, ut et pube alba, quæ hanc picturam (plus minus distinctam) format: ad basin lineolam longitudinalem brevem, et utrinque parum pone eam aliam lineolam vel maculam longitudinalem, tum maculam vel lineolam transversam utrinque, dein lineam transversam (fere in medio longitudinis dorsi sitam) saltem bis abruptam, quam sequuntur aliæ paucæ ejusmodi lineæ, usque in latera continuatæ, et utrinque in maculas punctaque abruptæ. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

Femina a mare non multum differt. *Cephalothorax* tibiam cum dimidia patella 4^{i} paris longitudine pæne æquat, circa $^{1}/_{3}$ longior quam latior, utrinque anterius levissime sinuatus, parte cephalica anteriora versus sensim paullo minus fortiter angustata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine circiter æquanti; facies a fronte visa evidenter paullo latior est quam altior et non parum latior infra quam supra, lateribus præruptis paullo convexis, mandibularum longitudinem vix altitudine æquans.

Mandibulæ patellis anticis paullo longiores sunt, femoribus anticis parum angustiores, in dorso versus basin sat fortiter convexæ. *Palporum* pars patellaris saltem dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà plus dimidio longior et pæne triplo longior quam latior, pars tarsalis parte tibiali non parum, vix vero dimidio, longior. *Pedes* paullo breviores quam in mare, 1^{i} paris cephalothorace 4$^{1}/_{3}$ longiores; ut in mare aculeati sunt, aculeis supra in patellis anterioribus tamen vix ullis. *Abdomen* ovatum vel inverse ovatum, postice sub-acuminatum. *Vulva* ex area sat parva cornea convexa nitida, pæne duplo latiore quam longiore, antice leviter rotundata, præterea rectangula constat, quæ in medio sulcum longitudinalem valde latum et profundum, apice antico rotundato non, apice vero postico usque ad marginem areæ pertinentem, postice apertum et subito dilatatum habet; qui sulcus

septo medio longo in fundo persectus est. Hoc septum anterius humillimum et angustissimum est, postice crassius et altius; apice postico rotundato æque longe atque ipse sulcus pertinet. Præterea ad formam cum mare convenit femina, eo modo paullo major.

Color quoque pæne ut in mare. *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus est, pube subolivaceo-fusca vestitus, his exceptis: secundum latera fasciam supra-marginalem sat latam pallidiorem albo-pubescentem habet et ipsum marginem lateralem albo-pubescentem quoque; fascia ejus media paullo pallidior et pallidius olivaceo- vel fusco-pubescens ad formam est ut in mare diximus; ut in eo frons et clypeus pallida sunt, saltem ad partem albo-pubescentia; in area oculorum posteriorum lineola longitudinalis antice alba, posterius pallide sub-olivacea conspicitur, et macula parva vel stria hujus coloris apud (pone) oculos seriei mediæ, ut et apud oculos seriei 3^{iæ}, intus. *Sternum, partes oris, palpi* et *pedes* fusco-testacea vel testacea, ad maximam partem pallido-pilosa; in pedibus pubescentia albida hic illic maculas plus minus distinctas albas format. Aculei pedum nigri vel fusci. *Abdomen* in fundo supra nigricans vel fuscum est, plerumque fascia angusta longitudinali brevissima pallidiore antice, posterius vero vittis transversis pallidioribus notatum, subter et in lateribus pallidius; dorsum ejus pube densa fusco-olivacea tectum est, hac pictura e pube formata ornatum: antice in medio fasciam longitudinalem brevem sat latam (interdum paullo pallidiorem) ostendit, quæ utrinque linea brevi alba et pone eam macula alba definitur; pone has maculas, posterius in dorso, lineæ nonnullæ longæ transversæ albæ plus minus inæquales vel in maculas abruptæ conspiciuntur. Latera et venter pube alba vel albicanti dense vestita sunt, illa plus minus fusco-punctata. *Mamillæ* pallide testaceæ.

♂. — Lg. corp. $6^1/_2$; lg. cephaloth. $4^1/_2$, lat. ej. $2^1/_2$, lat. clypei fere $1^1/_4$; lg. abd. $3^1/_6$, lat. ej. $1^4/_5$ millim. Ped. I $13^1/_2$, II paullo plus 13, III $12^2/_3$, IV $15^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV $3^5/_6$ millim.

♀. — Lg. corp. 9; lg. cephaloth. $4^1/_2$, lat. ej. circa $3^1/_3$, lat. clypei circa $1^3/_4$; lg. abd. $4^3/_4$, lat. ej. pæne 3 millim. Ped. I 15, II $14^1/_2$, III $13^1/_2$, IV $19^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 6 millim.

Exempla pauca hujus speciei in ins. Nanchovry sunt capta (G.).

49. ***L. Nicobarica***, n., *cephalothorace in fundo fusco, dense cinereo-albicanti-* (*et, in* ♀, *fusco-*) *pubescenti, fasciis tribus longitudinalibus pallidis notato, quarum duæ marginales latissimæ sunt et densius albo- vel cinerascenti-pubescentes, media lata et pone oculos constricta* (*interdum minus distincta*)*; sterno pallido; mandibulis sub-fuscis; palpis pallidis, pallido-pubescentibus, parte tarsali interdum nigricanti; pedibus fusco-testaceis vel testaceis, albo-pubescentibus, in femina* (*non in mare*) *fusco-annulatis; abdominis dorso in fundo nigro vel fusco et plus minus nigro-maculato vel -punctato, macula magna vel fascia brevi lata hastata vel rhomboidi antice ornato, quæ fasciis duabus pallidis, pone eam in fasciam singulam posteriora versus sensim angustatam unitis limitata est, hac pictura fundi tamen plus minus pubescentiâ alba vel cinerascenti et nigrâ obtecta; ventre pallido; vulva ex area cornea transversa inæquali sat magna constanti, quæ postice in foveam maximam excavata est. — ♂ ♀ ad. Long. ♂ circa $7^1/_4$, ♀ circa $7^1/_2$ millim.*

Mas. — *Cephalothorax* parum brevior quam tibia cum patella 4^i paris, pæne dimidio longior quam latior, modice altus, ad formam ut in priore specie, ad latera anterius vix sinuatus, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine fere æquanti, fronte truncata

circa $^1/_3$ partis thoracicæ latitudine æquanti. Facies paullo latior infra quam supra et paullo latior infra quam altior quoque, lateribus præruptis et leviter convexis. *Oculi* quoque plane sunt ut in specie priore diximus; trapezium oculorum 4 posteriorum tamen vix dupla oculi postici diametro latius postice quam antice nobis videtur.

Mandibulæ parum reclinatæ, altitudinem faciei longitudine paullo superantes, femoribus anticis non ita multo angustiores, parum plus duplo longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem leviter convexæ. *Palpi* mediocris longitudinis, clava sat lata, femora antica latitudine non parum, pæne dimidio, superanti. Pars patellaris vix dimidio longior est quam latior, pars tibialis eam longitudine æquat, non superat, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, paullo longior quam latior apice; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine saltem æquat, partis tibialis apice duplo latior, plus dimidio (vix duplo) longior quam latior: ovato-triangula est, in lateribus versus basin rotundata, dein lateribus rectis versus apicem sensim angustata et acuminata. Bulbus genitalis magnus et præsertim latus est, sat complicatus, a latere visus modice altus et fissura sat lata sed non ita profunda in duas partes divisus, parte anteriore longiore et hoc modo visa subter pæne recta, posteriore parte eâ plus duplo breviore sed paullo altiore, inæquali; in fissura illa aculeus valde longus transversim foras curvatus et directus conspicitur, e margine bulbi interiore exiens; in medio margine exteriore partis anterioris bulbi dens sat brevis fortissimus niger sursum (?) et foras directus adest. *Pedes* mediocres, 4^1 paris cephalothorace $4^1/_3$ longiores, metatarso paullulo breviore quam est tibia cum patella; ut in priore specie aculeati sunt pedes, aculeis tamen brevioribus; patellæ anteriores utrinque aculeum parvum ostendunt, vix supra evidenter aculeati. *Abdomen* ovatum vel inverse ovatum. *Mamillæ* brevissimæ, superiores inferioribus non longiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fuscus est, fasciis duabus marginalibus latissimis paullo pallidioribus cinctus (summo margine laterali nigro tamen), vestigiis fasciæ mediæ latæ paullo pallidioris munitus quoque, quæ antice dilatata est, non parum pone oculos constricta, posterius sub-lanceolata et sulco ordinario centrali nigro geminata, et saltem hic fasciis lateralibus paullo angustior; pube sat densa albicanti vestitus est cephalothorax, fasciis lateralibus pube densiore et purius alba tectis. Area oculorum ad maximam partem nigra est, excepto in medio posterius inter oculos 4 posteriores. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* testacea, *mandibulæ* piceo- vel ferrugineo-fuscæ. *Palpi* testacei, parte tarsali aut nigra, aut pallida, bulbo saltem ad partem fusco; sat dense et tenuiter pallido-pubescentes sunt, setis et aculeis fuscis. *Pedes* toti fusco-testacei vel testacei, albo-pubescentes, aculeis fuscis. *Abdomen* in fundo superius nigricans vel fuscum est, plus minus evidenter nigro-punctatum, fascia media abbreviata lata rhomboidi lanceolata sive hastata fere ad medium dorsi pertinenti antice ornatum, quæ utrinque fascia angustiore testacea vel albicanti limitatur, his duabus fasciis pone eam in fasciam singulam sensim angustatam et pæne ad apicem dorsi posticum pertinentem unitis. Pube alba supra vestitum est abdomen et antice testaceo-pilosum, pictura illa fundi tamen satis evidenti. Venter cinereo- vel albicanti-testaceus; *mamillæ* ejusdem coloris fere.

Femina ad formam solito modo a mare differt. *Cephalothorax* æque longus est ac tibia cum patella 4^i paris, circa $^1/_3$ longior quam latior, utrinque anterius levissime sinuatus, fronte et clypeo paullulo latioribus quam in mare. *Oculi* plane ut in eo dixi-

mus sunt. *Mandibulæ* facici altitudinem non parum longitudine superant, femoribus anticis paullo angustiores, patellas 1ⁱ paris longitudine saltem æquantes, in dorso ad longitudinem modice et satis æqualiter convexæ. *Palporum* pars patellaris saltem dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà vix dimidio longior et saltem duplo et dimidio longior quam latior, pars tarsalis parte tibiali non parum, vix vero dimidio, longior. *Pedes* breviores, 4ⁱ paris cephalothorace vix vel non 4:plo longiores; metatarsus hujus paris tibia cum patella parum brevior est. Ut in mare aculeati sunt pedes, aculeis plerisque minus longis dicendis. *Abdomen* inverse ovatum, postice breviter sub-acuminatum. *Vulva* ex area cornea magna valde inæquali, circa duplo latiore quam longiore, postice truncata, in lateribus rotundata constat, quæ postice in foveam maximam excavata est et versus medium antice sulcis duobus anteriora versus plus minus divaricantibus et ante ipsam aream vulvæ continuatis notata: pars ejus ab his sulcis inclusa apice postico obtuso (et sulco medio longitudinali prædito) retro, usque in foveam illam, producta est.

Color. — In fundo color fere ut in mare diximus est, pictura fundi tamen in *abdomine* a pubescentia magis occulta. *Cephalothorax* in fundo fuscus est, area oculorum ad maximam partem nigra; pube fusca et cinerascenti-alba vestitus et sub-variatus est et fasciis tribus longitudinalibus pallidis ejusdem formæ atque in mare notatus, duabus marginalibus latissimis, usque in genas continuatis et pube densiore cinerascenti-alba tectis, media (interdum anterius obsoleta) pube cinereo-albicanti plus minus æqualiter vestita. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* pallida sunt, *mandibulæ* sub-fuscæ; *palpi* pallidi, parte tarsali versus apicem obscuriore, præterea vix vel parum evidenter fusco-annulati. *Pedes* ut palpi fusco-testacei vel testacei sunt, annulis sub-fuscis, præsertim in tibiis et metatarsis posterioribus distinctis, cincti: femora saltem anteriora vix evidenter annulata sunt, patellæ basi supra infuscatæ; tibiæ annulos binos vel ternos, metatarsi ternos annulos ostendunt. Pube alba minus dense vestiti sunt pedes, quæ hic illic maculas vel annulos abruptos formare videtur. *Abdomen* in fundo fuscum est, macula magna oblonga sub-rhomboidi sive hastata antice, quæ fasciis duabus albicanti-testaceis (multo minus æqualibus quam in mare) definitur, his fasciis pone maculam illam in fasciam singulam sensim angustatam unitis et retro continuatis; supra tamen abdomen pube ad maximam partem cinereo-albicanti ita vestitum est, ut pictura illa oculta evadat: pubescentia enim antice in dorso fasciam mediam longitudinalem brevem cinerascentem format, lineola inæquali nigricanti utrinque definitam, et pone eam fascias duas nigras pæne parallelas valde inæquales vel e maculis punctisque nigris compositas; utrinque in dorso, paullo pone medium ejus, maculæ duæ majores paullo clarius cinereæ adesse videntur, antice et postice stria vel macula nigricanti definitæ. Latera abdominis in fundo sub-testacea sunt, maculis inæqualibus nigricantibus conspersa, pube cinereo-alba et nigricanti vestita et dense variata. Venter testaceus, cinereo-albicanti-pubescens, *vulva* nigricanti. *Mamillæ* testaceæ.

♂. — Lg. corp. $7^1/_4$; lg. cephaloth. $4^1/_2$, lat. ej. paullo plus 3, lat. clyp. $1^1/_2$; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. pæne $2^1/_2$ millim. Ped. I $12^1/_2$, II 12, III $11^1/_2$, IV $16^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV $4^3/_4$ millim.

♀. — Lg. corp. $7^1/_2$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3, lat. clyp. $1^1/_2$; lg. abd. 4, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I $11^3/_4$, II $11^1/_2$, III $10^1/_2$, IV $15^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV $4^1/_2$ millim.

Exempla paucissima, quæ hujus araneæ vidi, in insulis Terressa, Kar Nicobare, Nanchovry et Pulo Milu capta sunt (G.).

Fam. **Oxyopoidæ.**

Gen. **Oxyopes** (Latr.), 1804.

50. ***O. lineatipes*** (C. L. Koch), *rufescenti- vel virescenti-testaceus, lineis duabus nigris ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum ductis; cephalothorace saltem in femina lineis 4 longitudinalibus nigris e pube formatis notato, interstitiis pallido-pubescentibus; pedibus nigro-lineatis; abdomine supra fasciis duabus longitudinalibus pallidis argenteo- vel sub-aureo-squamulosis ornato, quæ antice fasciam brevem sub-lanceolatam obscuriorem, interdum rubram, interdum argenteo-marginatam, interdum usque ad anum ductam includit, lateribus aut argenteis, serie lineolarum longitudinalium sub-obliquarum nigrarum ornatis, aut nigris, serie ejusmodi lineolarum argentearum; ventre fascia lata nigra, interdum in lineas duas vel tres divisa notato; vulva ex callo transverso procurvo obscuro formata, qui antice excavatus est, margine in tres lobos inciso, lobo medio dentiformi; parte tibiali palporum maris in latere exteriore, prope apicem, sulco magno profundo deorsum directo pallido instructo, hoc sulco quasi labiis duobus nigris incluso (non infra aperto). — ♂ ♀ ad. Long. ♂ circa 7¼, ♀ circa 9 millim.*

Syn.: 1848. *Sphasus lineatipes*, C. L. Koch, Die Arachn., XV, p. 55, Tab. DXVIII, fig. 1455.

Hujus speciei, quæ in Indo-Malesia sat frequens videtur, exempla pauca a Cel. Workman in insulis Pinang et Singapore collecta nunc lustravi.

51. ***O. Javanus,*** Thor.

Syn.: † 1886. *Oxyopes lineatipes*, Sim., Matér. pour servir à la faune arachn. de l'Asie Mérid. III. Arachn. recueillis . . . dans la presqu'île de Malacca, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1865), p. (6).

1877. » *Javanus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 329.

O. Javanus quoque multis locis Indo-Malesiæ et in Birmania captus est; feminam adultam ad Tjadé (Atjeh) Sumatræ invenit D:r Klein. Præterea tria exempla adulta Nicobarica, marem in ins. Terressa et feminas duas in ins. Nanchovry captas ex Mus. Zool. Hauniensi mecum communicata fuerunt (G.). Feminæ Nicobaricæ a reliquis feminis a me visis in eo differunt, quod tuberculum vulvæ in apice suo rotundato et nitidissimo sulco transverso distincto *caret*.

52. ***O. gemellus,*** n., *cephalothorace cum partibus oris rufo-testaceo, lineis duabus nigris ab oculis 1i paris pœne ad apicem mandibularum ductis, aliisque duabus lineis nigris ab angulis clypei oblique sursum et retro directis curvatisque notato; pedibus testaceis, nigro-lineatis; abdomine in fundo sub-olivaceo, fascia longitudinali nigra in utroque latere, et in dorso lineis quattuor longitudinalibus nigris ornato, quarum duæ mediæ aream longam sub-lanceolatam includunt, spatiis inter eas et reliquas duas saltem ad partem albicantibus; ventre nigro; palpis testaceis, parte tarsali nigra in apicem longum pallidum excurrenti, parte tibiali paullo longiore quam latiore, a latere visa a basi ad apicem sensim paullo*

dilatata, anterius subter, magis extus, excavata, margine excavationis exteriore dente sat parvo nigro foras eminenti munito, margine interiore (sive apice oblique truncato lateris inferioris partis tarsalis) in duos dentes desinenti. — ♂ *ad. Long. circa* $8^1/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* minus altus est, tibiâ 4^i paris multo, pæne dimidio, brevior, inverse ovatus fere, lateribus posterius fortiter, anterius leviter rotundatis (in parte cephalica pæne rectis) anteriora versus fortiter angustatus, latitudine frontis dimidiam partis thoracicæ latitudinem non æquanti, oculis 2^i et 3^{ii} parium prominulis; impressiones cephalicæ obsoletæ sunt, sulcus ordinarius centralis sat fortis et longus. A latere visum dorsum cephalothoracis in medio paullo depressum videtur, quia in parte cephalica sensim paullulo assurgit; area oculorum 6 posteriorum sat prærupte proclivis est, vix convexa. Clypei altitudo latitudinem areæ oculorum pæne æquat, longitudine mandibularum paullo minor. *Area oculorum* parum longior quam latior videtur. Oculi 1^i paris spatio diametro sua vix vel non duplo majore sejuncti sunt, ab oculis 2^i paris spatio hanc diametrum pæne æquanti separati; oculi 2^i paris oculis 4 posterioribus sub-æqualibus pæne dimidio majores sunt, spatio diametro sua evidenter minore disjuncti, hoc spatio non parum minore quam est longitudo seriei ab oculis 1^i paris formatæ. *Oculi* 3^{ii} paris, qui ab oculis 2^i paris spatio horum oculorum diametrum æquanti sunt sejuncti, ab oculis 4^i paris non parum longius (spatio oculorum posticorum diametro circa dimidio majore) remoti sunt; oculi 4^i paris inter se spatio paullo minore, diametro oculi non parum majore tamen, sunt separati. Area quam formant oculi 2^i et 4^i parium rectangula est, circa dimidio longior quam latior. *Sternum* æque longum ac latum.

Mandibulæ ad basin femora antica latitudine æquant; *labium* versus apicem late truncatum, præsertim vero basin versus sensim est angustatum. *Palpi* clava excepta gracillimi, mediocris longitudinis; clava femoribus anticis saltem dimidio latior est. Pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis desuper visa eâ paullo longior et paullo latior, a basi anteriora versus sensim paullulo dilatata, angulis anterioribus, præsertim exteriore, tamen late et oblique truncatis; a latere visa hæc pars parte patellari non parum latior et longior est, paullo longior quam latior apice, a basi ad apicem sensim paullo dilatata; subter, extus, ab apice usque paullo pone medium, sub-excavata est, margine exteriore hujus excavationis dente nigro sat parvo armato, qui, quum magis desuperne inspicitur pars tibialis, paullo ante medium lateris eminet. Margo interior excavationis tenuis, altus et incurvus in duos dentes acuminatos desinit, quorum interior (anterior) niger, exterior (posterior) pallidus est; quod facilius est visu si a latere interiore inspicitur pars tibialis: tum a basi ad hos dentes (anteriora versus et paullo deorsum directos) secundum lineam rectam sensim dilatata videtur hæc pars. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis multo, pæne duplo, longior est, parte tibiali fere triplo latior, apice longo (reliquam partem longitudine pæne æquanti), gracili et pæne cylindrato: sine hoc apice non multo longior quam latior est pars tarsalis, fornicata, latere exteriore sat leviter, latere interiore fortissime rotundato, basi minus late truncata, angulo basceos exteriore tuberculum retro et foras directum formanti. Bulbus subter extus procursu ordinario pallidiore anteriora versus directo, forti et in uncum gracillimum deorsum curvatum exeunti munitus est, versus apicem ejus vero, magis intus, spina anteriora versus geniculato-flexa vel -fracta sat forti, nigra. *Pedes* longissimi, aculeis longis gracilibus crebris armati; femora subter serie longi-

tudinali setarum longissimarum gracilium munita videntur. *Abdomen* forma ordinaria, longum et angustum.

Color. — *Cephalothorax* cum mandibulis rufo-testaceus est, lineis duabus nigris ab oculis anticis pæne ad apicem mandibularum pertinentibus, in clypeo sat latis, in mandibulis gracilioribus, notatus; ab angulis clypei linea tenuis nigra oblique sursum et retro per latera partis cephalicæ ducta conspicitur. Inter oculos pube densa albicanti vestitus est cephalothorax; præterea in nostro exemplo detrito glaber videtur. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* rufo-testacea, illæ macula nigra versus apicem notatæ. *Palporum* pars femoralis flavo-testacea, partes patellaris et tibialis magis rufescenti-testaceæ, linea longitudinali nigra supra notatæ, pars tibialis macula nigra ad basin lateris exterioris quoque; clava nigra est, apice longo partis tarsalis tamen testaceo. *Pedes* sub-testacei, nigro-lineati, aculeis nigris et fuscis; femora lineam nigram longam subter extus habent, tibiæ lineam ejusmodi et antice et postice, ipsa basi et apice præterea paullo nigro-maculatæ, ut patellæ apice. *Abdomen* (quod in nostro exemplo plane detritum est, remanenti modo hic illic squamula alba) superius in fundo sub-olivaceum videtur, lineis duabus tenuibus longis nigris secundum medium, quæ anum versus sensim inter se appropinquant et denique in unam unitæ sunt: area, quam includunt, anterius sub-lanceolata est, apice postico longe retro producto et sensim angustato. Utrinque, ad latera, dorsum aliam lineam longam nigram ostendit: anterius in spatiis inter eas et lineas duas medias vestigia fasciæ longitudinalis albicantis video. In utroque latere abdominis, inferius, linea vel potius fascia sat lata nigra usque ad mamillas est extensa, quæ modo fascia pallida a ventre nigro est separata. *Mamillæ* inferiores nigræ, superiores sub-olivaceæ, apice nigræ.

Lg. corp. $8^1/_4$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. parum plus 2, lat. front. pæne 1; lg. abd. $5^1/_2$, lat. ej. $1^1/_3$ millim. Ped. I ? (sine tarso $16^3/_4$), II 17, III circa $13^1/_4$, IV 16 millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 5 millim.

Exemplum singulum in Pinang cepit Cel. Workman. — Parum nisi colore abdominis paullo alio et alia forma palporum, præsertim partis tibialis, a maribus *O. striati* (Dol.), *O. lineatipedis* (C. L. Koch) aliisque differt mas *O. gemelli* nostri.

53. ***O. longinquus***, Thor.? *cephalothorace, partibus oris, palpis pedibusque in fundo fusco-testaceis vel testaceis, illo lineis duabus nigris ab oculis anticis versus apicem mandibularum ductis, aliisque duabus ab angulis clypei per latera partis cephalicæ sursum et retro extensis, nonnumquam etiam lineis duabus parallelis nigris ab oculis posticis retro ductis notato, et pube alba vestito; pedibus plerumque totis pallidis, femoribus interdum linea nigra subter præditis; abdomine longissimo, in fundo supra pallido, fascia media obscura abbreviata sub-hastata antice in dorso, in lateribus vero, supra, duabus lineis parallelis nigris, sæpe in lineolas abruptis notato, ventre fascia longitudinali lata nigra (vel fasciis duabus parallelis nigris) munita; area vulvæ postice in laminam transversam pallidam, in medio margine impressam elevata, cujus extremitatibus antice adjacet tuberculum nigrum, his tuberculis cum maculis duabus nigris ante ea sitis trapezium formantibus.* — ♀ *ad. Long. circa 11 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* tibia 4^1 paris parum brevior est, paullo plus $^1/_3$ longior quam latior, ad formam ut in specie priore et in affinibus, fronte angusta, latitudine $^1/_3$

latitudinis partis thoracicæ non multo superanti; clypei altitudo latitudinem areæ oculorum modo paullo superat. *Oculi* quoque fere ut in priore: area, quam occupant, evidenter latior est quam longior; oculi seriei 3^{iæ} circa duplo longius inter se quam ab oculis 4^{æ} seriei distant; rectangulum, quod formant hi oculi cum oculis seriei 2^{æ}, circa dimidio longius quam latius est. Spatia, quibus oculi seriei 3^{iæ} ab oculis seriei 4^{æ} distant, non parum majora sunt quam spatium, quo hi inter se sunt sejuncti. Oculi 1^{æ} seriei plus duplo, vix vero triplo minores sunt quam oculi seriei 2^{æ} et ab iis spatio remoti, quod eorum diametrum pæne æquat; inter se spatio diametro sua multo, pæne duplo, majore disjuncti videntur. *Partes oris* ut in affinibus: labium sub-lanceolatum est, apice anguste truncatum. Pars *palporum* patellaris pæne dimidio longior est quam latior, pars tibialis saltem triplo longior quam latior; pars tarsalis duas priores conjunctim longitudine paullo superat. *Pedes* 1^{i} paris cephalothorace pæne 5:plo longiores sunt; aculei pedum plerique longissimi et graciles. *Abdomen* longum et angustum, $3^1/_2$—4.plo vel ultra longius quam latius, fere a basi ad apicem lateribus rectis sensim angustatum. *Vulva* ex area mediocri pæne quadrata constat, quæ anterius plana fere est, postice in laminam transversam pallidam sat humilem elevata, angulis laminæ rotundatis; margo liber hujus laminæ deorsum directus et late rotundato-truncatus in medio leviter emarginatus vel impressus est; extremitates laminæ paullo anteriora versus sunt curvatæ et suo quæque tuberculo humili nigro antice adjacentes; quæ tubercula cum maculis duabus nigris, angulos areæ vulvæ anticos occupantibus, trapezium paullo latius quam longius et paullo latius antice quam postice formant.

Color. — *Cephalothorax* (cum mandibulis) in fundo fusco-testaceus est, lineis duabus nigris ab oculis 1^{i} paris usque versus apicem mandibularum ductis, aliisque duabus lineis nigris notatus, quæ ab angulis clypei primum paullo divaricantes sursum pæne ad medium altitudinis ejus ductæ sunt, tum retro curvatæ et secundum medium laterum partis cephalicæ primum oblique retro et sursum, dein retro directæ; interdum vestigia linearum duarum nigricantium parallelarum, ab oculis 4^{æ} seriei retro ductarum ostendit cephalothorax, pictura alia (præter maculas oculares ordinarias nigras) ut videtur carens: supra pube densa nivea, cujus remanent modo vestigia in nostris exemplis, vestitum fuisse videtur. (In mare juniore, quem hujus speciei credo, cephalothorax lineas quattuor longitudinales e pube ferruginea formatas ostendit). *Maxillæ*, *labium*, *palpi* et *pedes* pallide fusco-testacea vel testacea, parte tarsali palporum saturatius colorata, aculeis eorum pedumque fuscis sæpe maculis parvis nigris impositis; femora interdum lineolam longitudinalem tenuissimam nigram subter ostendunt. *Abdomen* in fundo testaceum est, dorso magis albicanti et antice fascia media satis angusta fusca, pæne a basi ad medium dorsi pertinenti, posterius sensim angustata et acuminata, in medio vero utrinque in dentem sive ramulum dilatata notato; latera abdominis lineas duas longitudinales tenues parallelas nigricantes, sæpe in lineolas divulsas, supra ostendunt. Dorsum abdominis saltem ad maximam partem pube densa alba vestitum fuisse videtur. Venter fascia latissima nigra vel nigricanti (quæ interdum fascia pallidiore in fascias vel lineas duas geminata est), a rima genitali pæne ad mamillas testaceas pertinenti est ornatus. *Vulva* maculas 4 nigras, in trapezium paullo latius antice quam postice et æque fere longum ac latum postice dispositas ostendit, quum in fluido immersa est aranea.

♀. — Lg. corp. 11; lg. cephaloth. $3^1/_6$, lat. ej. circa $2^1/_4$, lat. clyp. parum plus 1; lg. abd. $7^1/_2$, lat. ej. circa $2^1/_6$ millim. Ped. I $15^1/_2$, II $15^1/_4$, III $12^2/_3$, IV $14^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV $4^1/_2$ (tib. $3^1/_2$) millim.

Feminas supra adumbratas speciei credo, cujus marem sub nomine *O. longinqui* alio loco describo [1]. A feminis affinibus, e. gr. *O. tæniati*, *O. lineatipedis*, cet., colore abdominis (solito longioris), colore pedum et forma vulvæ satis facile internosci potest.

Exempla pauca detrita, adulta et juniora, in ins. Nanchovry, Terressa et Nicobare Minore capta examinavi (G.).

Gen. **Tapponia**, Sim. 1885.

54. ***T. insulana***, n., *cephalothorace tibiam cum $^1/_3$ patellæ longitudine circiter æquanti, in fundo sordide fusco, area oculorum nigra; oculis 1^i paris spatio separatis, quod eorum diametro non multo majus est, spatio inter oculos 2^i paris diametrum oculi modo æquanti; mandibulis tibiis anticis circa dimidio longioribus; pedibus in fundo olivaceo-fuscis, maculis minoribus nigris, quibus insistunt aculei, sparsis, femoribus subter vel antice lineis duabus parallelis plus minus abbreviatis vel in lineolas divulsis notatis, tibiis ab basin utrinque, superius, linea longitudinali nigra brevi; pedibus 1^i paris cephalothorace circa $4^1/_4$ longioribus, pedibus 3^ii et 4^i parium pæne æque longis; abdomine in fundo supra obscure olivaceo, in lateribus infra pallidiore, ventre fascia obscuriore (geminata) secundum medium notato; vulva ex fovea sat parva rotunda posterius margine humiliore semi-circulato nigro limitata et ex maculis duabus parvis nigris paullulo ante eam sitis constanti. — ♀ ad. Long. circa $13^1/_2$ millim.*

Femina. — Ad formam hæc species pæne plane cum e. g. *T.* (*Oxyope*) *hieroglyphica*, Thor.,[2] convenit. *Cephalothorax* brevis et altus est, tibiam cum $^1/_3$ patellæ 4^i paris longitudine fere æquans, vix $^1/_4$ longior quam latior, clypeo pæne $^3/_4$ partis thoracicæ latitudine æquanti; clypei altitudo, dimidiam longitudinem mandibularum pæne æquans, longitudine areæ ab oculis seriei 2^æ et seriei 4^æ formatæ paullulo minor est, sed duplo major quam longitudo areæ ab oculis 4 anterioribus formatæ. Oculi ut in illa specie pæne sunt: area, quam occupant, diametro oculi singuli maximi latior est quam longior; oculi seriei 1^æ spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro paullo majus videtur, ab oculis 2^æ seriei

---

[1] Diagnosis exempli typici *O. longinqui* hæc est:

O. longinquus, n., *fusco-testaceus, lineis duabus nigris ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum ductis; femoribus subter nigro-lineatis; abdomine in fundo sub-testaceo-cinerascenti, in dorso fasciis tribus longitudinalibus e squamulis ferrugineis formatis, vel saltem fascio ejusmodi una, ornato, dorso et lateribus præterea squamulis sub-argenteis vestitis, lateribus in fundo lineis binis longitudinalibus tenuibus nigris notatis; parte tibiali palporum multo longiore quam latiore, in latere exteriore amplissime, ab apice pæne usque ab basin, excavata, hac excavatione postice margine longo elevato deorsum directo procurvo nigro limitata, antice inferius vero callo brevi nigro in duos dentes diviso, et pone superiorem horum dentium alio dente munita quoque; apice angusto partis tarsalis reliquam hanc partem longitudine fere æquanti. — ♂ ad. Long. circa $6^1/_2$ millim.*

Ubi inventus fuit hic mas, non satis constat; Indo-Malesiæ incola haud dubie tamen est.

[2] [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II.] Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 331. — Gen. *Tapponiæ*, Sim., in illis formis generis antiqui *Oxyopis* accipio, quæ cephalothoracem anteriora versus modo paullo angustatum habent, ita ut clypeus areâ oculorum circa dimidio latior evadat; in his formis labium non lanceolatum, est sed latera saltem versus basin parallela habet. Conf. Thor., loc. cit., p. 338.

sive paris (quibus saltem triplo minores sunt) spatio hac diametro minore separati. Spatium inter oculos 2^{æ} seriei eorum diametrum æquat, vix superat: æque magnum mihi videtur ac longitudo seriei ab oculis 1^{i} paris formatæ, et æque magnum ac spatium inter oculos 2^{i} et 3^{ii} parium, quod spatium diametro oculi 3^{ii} paris saltem dimidio majus est; spatium inter oculos 4^{i} paris, qui iis parum sunt majores, etiam paullo majus videtur, diametro oculi circa duplo majus; spatia inter oculos 4 posteriores æqualia sunt.

Mandibulæ tibiis anticis circa dimidio longiores sunt, femoribus anticis basi plus dimidio, pæne duplo latiores; *labium* pæne duplo longius est quam latius, lateribus basi parallelis, anterius apicem truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* ut *pedes* aculeis longis crebris armati; pedes ita: I, II, IV, III longitudine se excipiunt, 3^{ii} paris pedes tamen pedibus 4^{i} paris parum sunt longiores; 1^{i} paris cephalothorace circa $4^1/_4$ longiores sunt. *Abdomen* ovato-lanceolatum, plus duplo longius quam latius, lateribus anterius rotundatis, posterius rectis saltem a medio posteriora versus sensim angustatum. Area *vulvæ* sub-ferruginea sat parva est, paullo longior quam latior; postice fovea occupatur rotunda, parum profunda, pallida, pubescenti, quæ margine paullo elevato semi-circulato, æquali, nigricanti posterius limitatur, et cujus diameter diametrum tibiæ 4^{i} paris pæne æquat; paullulo ante hanc foveam maculas duas parvas nigras ostendit area vulvæ.

Color. — Quum valde detritum sit unicum quod hujus speciei vidi exemplum, modo colorem fundi describere possum; pubescentia ejus picturam haud dubie plane aliam format. *Cephalothorax* sordide et obscure fuscus est, area oculorum, summo margine laterali et sulco ordinario centrali nigris. *Sternum*, *maxillæ* et *labium*, cum coxis subter, testaceo-fusca sunt. *Mandibulæ* ferrugineo-fuscæ, tuberculo oblongo basali lateris exterioris nigro: vestigia pubescentiæ albicantis densissimæ et intus in dorso et extus ostendunt, pilis paucis fuscis conspersæ. *Palpi* et *pedes* pallide olivaceo-fusci sunt, maculis minoribus nigris, quibus insistunt aculei, sparsi; femora subter vel antice lineas binas parallelas nigras plus minus abbreviatas vel in lineolas et maculas divulsas ostendunt; tibiæ lineas duas longitudinales breves vel brevissimas superius habent. Aculei obscure fusci. In palpis vestigia pubescentiæ densæ albo-cinerascentis intus remanent. *Abdomen* nigricanti-olivaceum est, subter paullo clarius, lateribus præsertim infra maculis minutis densis cinerascentibus reticulatis. Secundum medium ventris vestigia fasciæ mediæ geminatæ non multo latæ nigricantis video; in apice ventris ut in medio ejus antice, pone rimam genitalem, remanent vestigia pubescentiæ rufescentis; utrinque antice pone rimam illam vestigia pubescentiæ albæ video quoque. *Mamillæ* pallide fuscæ.

Lg. corp. $13^1/_2$; lg. cephaloth. $4^1/_4$, lat. ej. $3^1/_2$, lat. clyp. fere $2^1/_2$; lg. abd. $8^1/_2$, lat. ej. 4 millim. Ped. I 18, II $17^1/_2$, III pæne 16, IV 16 millim. longi; pat. + tib. IV 5 millim.

Singulam feminam vidi, in ins. Kamorta inventam (G.).

Trib. LATERIGRADÆ.

Fam. **Heteropodoidæ.**

Gen. **Spariolenus,** Sim., 1880.

55. ***S. megalopis,*** n., *cephalothorace fusco-testaceo, nigro-marginato, anterius utrinque infuscato, pedibus pallide testaceis, fusco-maculatis vel -sub-annulatis, abdomine oblongo (cinerascenti-olivaceo, rufo-fusco- et flaventi-maculato?); serie oculorum antica omnium fortissime deorsum curvata, serie postica sat fortiter recurva, oculis lateralibus anticis valde magnis; oculis mediis anticis parvis spatio diametrum suam saltem æquanti separatis, oculis mediis posticis spatio diametro sua paullo majore sejunctis. — ♀ jun. Long. 5½ millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* non parum longior quam latior est, tibiâ pedum anteriorum multo brevior, inverse cordiformis fere, latitudine frontis rotundatæ dimidiam latitudinem partis thoracicæ non multo superanti; sulcus ordinarius centralis longus et sat profundus est, impressiones cephalicæ distinctissimæ. Facies alta, modo fere dimidio latior quam altior, supra leviter convexa, lateribus directis, immo paullo reclinatis, i. e. facies paullulo latior est supra, ubi oculi postici locum tenent, quam infra, ad basin mandibularum. A latere inspectus sat humilis videtur cephalothorax, posterius convexus, fere in medio paullo depressus, ante hanc depressionem usque ad oculos pæne rectus et paullulo assurgens, area vero oculorum modice proclivi; clypeus directus est et altus valde: spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei horum oculorum diametro 5.plo vel 6.plo majus est, diametro oculorum anticorum lateralium pæne duplo majus, et longitudinem areæ oculorum mediorum pæne æquans; spatium, quo oculi laterales antici a margine clypei distant, eorum diametro paullo majus videtur. *Oculi* laterales 4 valde magni sunt et magnitudine pæne æquali; oculi medii antici parvi, lateralibus anticis circa triplo minores; oculi medii postici mediis anticis circa duplo majores sunt, lateralibus posticis vero pæne duplo minores. In series duas sat longe inter se remotas et extremitatibus divaricantes ordinati sunt oculi; series postica, quæ serie antica multo, fere dimidio, longior est, desuper visa sat fortiter est recurva, a fronte visa sat leviter deorsum curvata; series antica desuper visa leviter recurva est, a fronte visa vero omnium fortissime deorsum curvata: linea recta margines superiores oculorum anticorum lateralium tangens, medios anticos sub centro secat. Oculi medii aream occupant, quæ paullo longior est quam latior postice, et multo latior postice quam antice. Spatium inter oculos binos laterales duplam oculi lateralis diametrum circiter æquat, et multo majus est quam spatia, quibus distant oculi medii antici a mediis posticis. Oculi medii antici inter se spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro paullo majus videtur; a lateralibus anticis spatio diametrum suam vix æquanti remoti sunt. Oculi medii postici inter se spatio sunt disjuncti, quod eorum diametrum paullo superat: a lateralibus posticis, qui suæ quisque eminentiæ forti extus impositi sunt, spatio paullo majore distant.

Mandibulæ directæ, cylindratæ, plus duplo longiores quam latiores, femoribus anterioribus paullo angustiores, in dorso leviter convexæ. *Pedes* longi, valde aculeati: tibiæ anteriores, e. gr., subter aculeis longissimis 2. 2. 2., et præterea antice et postice 1 vel

1. 1. aculeis minoribus sunt armatæ; metatarsi anteriores, præter alios aculeos, 2. 2. longissimos subter habent. *Abdomen* longum et angustum fuisse videtur.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus est, versus latera anterius inæqualiter infuscatus, ipso margine laterali nigro; pilis luteis vel flaventibus minus dense vestitus fuisse videtur. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* pallide testacea. *Mandibulæ* pallide testaceæ, fascia media longitudinali lata fusca in dorso notatæ, quæ a basi pæne (non usque) ad apicem mandibulæ pertinet. *Palpi* et *pedes* pallide testacei quoque, plus minus evidenter fusco-annulati vel -maculati; femora præsertim subter maculis parvis fuscis sparsa sunt. Aculei pallide fusci. *Abdominis* color in nostro exemplo deperditus est: dorsum et latera ejus cinerascenti-olivacea fuisse videntur, cinerascenti-pubescentia vel -pilosa, et maculis striisve parvis rufo-fuscis conspersa; in medio dorso vestigia macularum parvarum flaventium video, quæ in series duas breves sub-parallelas digestæ sunt (?). Venter cinerascens. *Mamillæ* testaceæ, basi fuscæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. $5^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. $2^1/_4$, lat. ej. pæne 2, lat. front. circa 1; lg. abd. $3^1/_4$, lat. ej. $1^1/_2$ (?) millim. Ped. II 10 (pat. + tib. $3^3/_4$) millim. longi.

Modo singulum exemplum femineum parvum, male conservatum et pedibus pæne omnibus carens vidi, in ins. Nicobare Minore captum (G.). Adulta hæc species haud dubie multo major est. *S. tigri*, Sim. [1], ex Calcutta, affinis videtur, oculis mediis utriusque seriei spatio diametro sua *majore* vel saltem non minore disjunctis, cet., a *S. tigri* dignoscenda.

Gen. **Heteropoda** (Latr.), 1804.

56. ***H. venatoria*** (Linn.).

Syn.: 1758. *Aranea venatoria*, Linn., Syst. Nat., Ed. 10, I,ii, p. 1035.

Hujus araneæ, quæ fere in omnibus partibus calidioribus terræ occurrere videtur, feminas adultas ex ins. Chovry (G.), ex Edi Sumatræ (Klein) et ex Batavia (G.) nunc examinavi, ut et marem adultum ex Metufi Novæ Britanniæ. Museum Zool. Haun. præterea exempla ex »India Occidentali», Rio de Janeiro, Brasilia meridionali, Nicaragua, India, China, Amoy, Oahu possidere dicitur.

Gen. **Sarotes** (Sund.), 1833.

57. ***S. Pinangensis***, n., *labio multo latiore quam longiore; cephalothorace piceo-nigro, pube appressa sericea cinerascenti dense vestito; ordinibus duobus oculorum plane parallelis et rectis, oculis mediis anticis reliquos magnitudine paullo superantibus, oculis binis lateralibus spatiis majoribus inter se remotis, quam quibus distant medii antici a mediis posticis, oculis lateralibus anticis a mediis anticis spatiis plus duplo majoribus remotis, quam quo distant hi inter se; palporum parte tibiali apice extus calcari acuminato sub-incurvo et extus leviter bis sinuato armata; pedibus ferrugineis, longius cinereo-flaventi-pilosis, aculeis crebris armatis (tibiis posterioribus etiam supra aculeo munitis) et scopulis latis luteis præ-*

[1] Révis. de la fam. d. Sparassidæ [Arachnides], *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880, p. (61).

ditis; abdomine cinerascenti-testaceo, pilis longis cinerascenti-flavis hirsuto. — ♂ ad. Long. circa 21 millim.

Mas. — *Cephalothorax* paullulo latior quam longior, tibiâ 4ⁱ paris non parum brevior, sat humilis, utrinque ad (ante) coxas 1ⁱ paris sat fortiter sinuatus, parte cephalica quoad libera est brevissima, anteriora versus angustata, fronte truncata, dimidiam partem thoracicam latitudine parum superanti. Sat humilis est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam brevem levissime convexo, modo antice magis convexo et hic, præsertim inter oculos, modice proclivi. Sulcus ordinarius centralis sat brevis, ut linea tenuis impressa anteriora versus continuatus. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos dimidiam horum oculorum diametrum vix æquat. Series duæ *oculorum* parallelæ sunt: series postica dupla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, quæ et a fronte et desuperne visa plane recta est; series postica desuper visa recta quoque. Oculi medii antici lateralibus anticis paullo majores sunt, oculi postici (saltem medii) lateralibus anticis paullo minores. Oculi medii aream occupant, quæ paullo latior est postice quam antice, et paullo latior postice quam longior. Oculi bini laterales spatio sunt separati, quod eorum diametro saltem dimidio est majus, et non parum majus quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis sunt sejuncti, his spatiis diametro mediorum anticorum evidenter paullo minoribus. Oculi medii antici spatio sunt separati, quod dimidiam eorum diametrum non multo superat: a lateralibus anticis intervallis hoc spatio plus duplo majoribus (oculi medii antici diametro saltem dimidio majoribus) remoti sunt. Spatium inter oculos medios posticos duplam eorum diametrum circiter æquat; a lateralibus posticis multo, pæne dimidio, longius quam inter se remoti sunt hi oculi. *Sternum* paullo longius quam latius, sub-triangulum, antice late et sat leviter emarginatum, lateribus levissime rotundatis posteriora versus sensim angustatum et acuminatum, planum et læve.

Mandibulæ directæ, robustæ, patellas 4ⁱ paris longitudine æquantes, femoribus anticis evidenter latiores, dimidio longiores quam latiores, in dorso sat leviter convexæ; sulcus unguicularis et antice et postice 3 dentibus mediocribus armatus est. *Maxillæ* porrectæ, convexæ, parum longiores quam latiores, basi angustæ, extus et antice rotundatæ, labio circa triplo longiores; *labium* plus dimidio latius basi quam longius, a basi ad apicem late truncatum (vix rotundatum) sensim sat fortiter angustatum. *Palpi* mediocres; pars femoralis ad apicem supra tres aculeos ostendit; pars patellaris, quæ saltem dimidio longior est quam latior, aculeum extus habet; pars tibialis, eâ paullo longior et, basi, paullo angustior, circa duplo longior quam latior est, a basi ad apicem sensim paullulo incrassata, versus basin aculeis 4 (2 supra, 1 utrinque) munita; apex lateris exterioris hujus partis in calcar nigrum anteriora versus et foras directum exit, quod diametrum apicalem ipsius partis tibialis longitudine fere æquat: paullo incurvum et, extus, leviter bis sinuatum est hoc calcar, basi forte, in apicem acuminatum exiens. Pars tarsalis prioribus partibus duplo latior est iisque conjunctis non parum longior, paullo plus duplo longior quam latior, anguste ovata fere, apice obtusa, fortius convexa; bulbus genitalis sub-ovatus, non altus: subter, e latere ejus exteriore, paullo ante medium, spina procurva intus directa rufescens, ad marginem internum pertinens conspicitur, parte bulbi pone hanc spinam sita antice profundissime incisa, parte ante spinam rotunda et profunde excavata. *Pedes* longi et sat fortes, aculeis crebris longis appressis armati; in pedibus 1ⁱ paris, e. gr. femora supra 1.

1., antice et postice 1. 1. 1. aculeos habent, tibiæ supra 1. 1., antice et postice 1. 1., subter 2. 2. 2. (apicales breviores), metatarsi versus basin antice 1. 1., postice 1, subter 2. 2. Patellæ omnes aculeo utrinque sunt munitæ; tibiæ posteriores etiam supra, versus medium, aculeum ostendunt. Metatarsi et tarsi scopula sat lata muniti sunt. *Abdomen* paullo longius quam latius, antice sub-truncatum (?).

Color. — *Cephalothorax* piceo-niger, postice versus margines paullo clarior, pube longa densa appressa sericea pallide cinerascenti vestitus, ad margines laterales longius pallido-pilosus. *Sternum* ferrugineo-fuscum, rufescenti-pilosum. *Mandibulæ* piceo-nigræ quoque, pilis rufescentibus sparsæ, apice intus dense rufo-pilosæ; *maxillæ* et *labium* nigro-picea, apice late rufo-ferruginea. *Palpi* ferrugineo-fusci, fulvo-pilosi, parte tarsali magis ferruginea, dense, brevius et læte luteo-pilosa. *Pedes* ferruginei, pilis cinereo-flaventibus sat dense vestiti, scopulis magis luteis, aculeis fuscis. *Abdomen* in fundo cinerascenti-testaceum est, pilis longis sat densis cinerascenti-flavis hirsutum. *Mamillæ* cinereo-testaceæ quoque.

Lg. corp. 21 millim. Lg. cephaloth. $9^1/_2$, lat. ej. 10, lat. front. $5^1/_2$; lg. abd. 11, lat. ej. $8^1/_2$ millim. Ped. I $53^1/_4$, II 56 (tib. 14), III $36^1/_2$, IV 44 (pat. + tib. $14^1/_2$) millim. longi.

Mas unicus supra descriptus, ex Museo Zool. Hauniensi mecum communicatus, in ins. Pinang inventus est. Oculis lateralibus anticis plus duplo longius a mediis anticis quam hi inter se remotis *S. Pinangensis* satis notabilis videtur; ut species insequens haud dubie generis illius est, quod a Cel. Simon [1] *Olios*, Walck., vocatur.

58. ***S. tener***, n., *labio multo latiore quam longiore; cephalothorace, partibus oris, palpis et pedibus fusco-testaceis vel etiam pallidioribus, palpis et pedibus saltem in mare apice late infuscatis; abdomine cinereo- (vel virescenti- ?) testaceo; ordinibus duobus oculorum apicibus inter se appropinquantibus, ordine postico desuper viso levissime procurvo, ordine antico a fronte viso recto; oculis binis lateralibus spatio multo minore disjunctis, quam quibus distant medii antici a mediis posticis; oculis mediis anticis reliquis oculis non parum majoribus, spatio diametro sua minore separatis, et spatiis etiam multo minoribus a lateralibus anticis remotis; palporum parte tibiali in mare spinis duabus valde longis et fortibus, pæne porrectis in latere exteriore armata, quarum altera versus basin hujus lateris, altera ex apice ejus, infra, exit. — ♂ ad., ♀ jun. Long. ♂ $7^1/_2$, ♀ jun. $6^1/_2$ millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullulo latior quam longior, tibiâ 4^1 paris non parum brevior, utrinque ante palpos sat fortiter sinuatus, parte thoracica in lateribus amplissime et fortiter rotundata, parte cephalica quoad libera est parva et brevissima, anteriora versus angustata; frons angusta et leviter rotundata dimidiam partem thoracicam latitudine non æquat. Minus humilis est cephalothorax, dorso a latere viso ante medium usque ad oculos modo leviter convexo et paullo proclivi (area oculorum paullo fortius proclivi), pone medium fortius convexo et postice fortiter declivi. Sulcus ordinarius centralis sat longus, postice in impressione lata longitudinali situs. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum vix æquat; spatium inter marginem illum et oculos laterales anticos horum oculorum diametro paullulo minus videtur. Series duæ

[1] Révis. de la fam. des Sparassidæ, loc. cit., pp. 8 et 77. De nomine »*Olios*», vid. Thor., On European Spiders, p. 178.

oculorum extremitatibus non parum inter se appropinquant; series postica saltem oculi lateralis singuli diametro longior est quam series antica, quæ a fronte visa recta est, desuper visa sat leviter recurva; series postica desuper visa paullulo procurva est, a fronte visa sat leviter deorsum curvata. Oculi medii antici lateralibus anticis circiter dimidio majores sunt; reliqui oculi magnitudine sub-æquali. Oculi medii aream occupant, quæ paullo latior est postice quam antice, et paullulo longior quam latior postice. Oculi bini laterales spatio sunt sejuncti, quod eorum diametrum vix superat, et fere duplo minus est quam spatia, quibus separati sunt oculi medii antici a mediis posticis, his spatiis oculi medii antici diametrum saltem æquantibus. Oculi medii antici spatio sunt separati, quod dimidiam eorum diametrum parum superat: a lateralibus anticis intervallis minutis, hoc spatio plus duplo minoribus, remoti sunt. Spatium inter oculos medios posticos eorum diametro saltem dimidio majus est; a lateralibus posticis spatiis paullo minoribus remoti sunt hi oculi. *Sternum* paullo longius quam latius, antice late truncatum et, in medio, sat late emarginatum, lateribus modice rotundatis posteriora versus angustatum et acuminatum; pæne planum, læve et nitidissimum est.

Mandibulæ directæ, femoribus anticis non parum angustiores, patellas 3ii paris longitudine æquantes, pæne duplo longiores quam latiores, in dorso modo leviter convexæ; sulcus unguicularis antice dentibus 2 (2° majore), postice 4 dentibus parvis armatus est. *Maxillæ* in labium leviter inclinatæ, sub-ovatæ, apice sub-rotundatæ, convexæ, pæne duplo longiores quam latiores, labio pæne triplo longiores. *Labium* fere duplo latius quam longius, apicem latissime rotundatum versus parum angustatum. *Palpi* mediocres; pars femoralis supra aculeis minutis saltem duobus munita est; pars patellaris paullo, non dimidio, longior est quam latior; pars tibialis eâ duplo longior, et fere triplo longior quam latior est, in latere exteriore leviter et latissime sinuata et ita in medio angustata, longius pilosa. Singulari modo hæc pars armata est: in latere exteriore enim spinis duabus valde longis et fortibus, leviter sinuatis, ferrugineis est munita, quarum altera, versus basin partis tibialis sita, anteriora versus directa est, apice paullo foras curvato; altera, in ipso apice hujus partis, infra, locum tenens, anteriora versus paulloque foras et deorsum est directa. Supra basin hujus spinæ apex oblique truncatus partis tibialis dentem minutum obtusum nigrum ostendit. Pars tarsalis anguste ovata et sub-acuminata est, saltem duplo et dimidio longior quam latior, partibus duabus prioribus conjunctis non parum longior, et partis tibialis apice duplo latior. Bulbus genitalis sat brevis, non altus: antice (fere sub medio partis tarsalis) procursus duos sat parvos deorsum directos, certo modo visos fere dentiformes ostendit, quorum exterior niger et angustior est et postice versus apicem dente tenuissimo armatus, interior latior, compressus, pallidus. *Pedes* longi et graciles, aculeis sat crebris et ad partem longis armati; patellæ aculeis carere videntur; tibiæ saltem posteriores aculeis supra carent. Metatarsi omnes (posteriores vero modo versus apicem) et omnes tarsi scopulis nec longis nec densis prædíti sunt. *Abdomen* ovatum, antice sub-truncatum, postice acuminatum; dorsum ejus anterius puncta ordinaria impressa quatuor ostendit.

Color. — *Cephalothorax*, *sternum* et *partes oris* pallide fusco-testacea sunt, ut *palpi*, partibus tibiali et tarsali paullo infuscatis exceptis; *pedes*, metatarsis et tarsis (præsertim anterioribus) paullo infuscatis exceptis, pallide fusco-testacei quoque; cephalothorax in

utroque latere partis thoracicæ serie longitudinali sub-incurva macularum ternarum cuneiformium pallidiorum notatus est, pube tenui sericea appressa cinereo-albicanti vestitus. Palpi et pedes albicanti-pilosi; aculei fusci, scopulæ pallidæ. *Abdomen* cinerascenti-testaceum — an in vivis magis virescens? — ut *sternum* sericeo-albicanti-pubescens est. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

Femina *jun.* parum nisi palporum forma alia, pedibus brevioribus et minus aculeatis, et abdomine paullo breviore magisque inverse ovato differt. Frons paullo latior quam in mare videtur, et spatia inter oculos eam ab causam paullo majora sunt: oculi medii postici, e. gr., spatio sunt sejuncti, quod duplam eorum diametrum æquat. Ad *colorem* femina jun. tota pallide flavo- (vel virescenti- ?) testacea est, modo cephalothorace paullo saturatius colorato et abdominis dorso fascia media longitudinali satis angusta, postice in lineam tenuem exeunti, paullo obscuriore (ut et anterius punctis 4 nigricantibus in trapezium dispositis) notato.

♂ *ad.* — Lg. corp. $7^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. $3^1/_4$, lat. ej. pæne $3^1/_2$, lat. front. $1^1/_2$; lg. abd. $4^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Ped. I 19, II 22 (tib. pæne 6), III 14, IV $16^1/_2$ (pat. + tib. $5^1/_2$) millim. longi.

♀ *jun.* — Lg. corp. $6^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. $2^3/_4$, lat. ej. paullo plus $2^1/_2$, lat. front. circa $1^1/_2$; lg. abd. $3^2/_3$, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I $11^1/_4$, II $13^1/_3$ (tib. pæne $3^1/_4$), III paullo plus 8, IV $9^3/_4$ (pat. + tib. pæne 3) millim.

Duo exempla, marem adultum feminamque juniorem, vidi, in Assam inventa (Mus. Zool. Haun.).

Gen. **Seramba**, Thor., 1887.

59. ***S. bifasciata***, n., *cephalothorace fusco-testaceo, fasciis duabus longitudinalibus latis nigris; mandibulis piceis, reliquis partibus oris, sterno palpisque sub-testaceis; pedibus sub-testaceis quoque, patellis anterioribus pæne totis nigris, tibiis anterioribus apice late nigris et subter sex paribus aculeorum armatis; serie oculorum antica modice deorsum curvata, oculis mediis anticis longius inter se quam a lateralibus anticis remotis.* — ♀ *jun. Long. saltem 6 millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* æque longus ac tibia cum patella 4i paris, non parum longior quam latior, utrinque supra basin palporum sat late et leviter sinuatus, parte thoracica lateribus postice fortiter, præterea sat leviter rotundatis anteriora versus parum angustata, postice in medio emarginata; pars cephalica magna, quoad libera est circa duplo latior quam longior, lateribus rectis anteriora versus modo parum angustata, fronte rotundata dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superanti. Sat altus est cephalothorax, transversim sat fortiter convexus; dorsum ejus a latere visum a declivitate postica, quæ longa, recta et sat fortiter declivis est, usque in vicinitate oculorum leviter convexum et paullo proclive est, denique paullo fortius proclive; frons directa, spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro minus. Impressiones cephalicæ modo postice distinctæ; sulcus ordinarius centralis brevis, profundus, longe retro, in declivitate postica, situs. Nitidus est cephalothorax, lævis, pilis sub-erectis non densis sparsus. Area *oculorum* pæne totam frontis latitudinem occupat; series eorum duæ apicibus inter se non

parum appropinquant. Series postica, quæ serie antica paullo plus dupla oculi lateralis diametro longior est, desuper visa sat fortiter est procurva, a fronte visa sat fortiter deorsum curvata; series antica a fronte visa paullo minus, sed non parum, deorsum est curvata, desuper visa recta. Oculi medii antici lateralibus anticis pæne dimidio majores; oculi postici æquales, lateralibus anticis paullo minores. Oculi bini laterales spatio vix vel parum minore (oculi diametro paullo majore) separati sunt, quam quibus distant medii antici a mediis posticis, his spatiis diametrum oculi medii antici vix æquantibus. Area oculorum mediorum paullo latior est postice quam antice et paullo latior postice quam longior. Oculi medii antici spatio diametrum suam saltem æquanti sunt separati: a lateralibus anticis spatiis evidenter minoribus, diametrum horum oculorum vix æquantibus, remoti sunt. Oculi postici spatiis æqualibus, oculi diametro plus duplo, pæne triplo majoribus sunt disjuncti. *Sternum* paullo longius quam latius, brevissime ovatum, antice sat late truncatum et in medio emarginatum, postice breviter acuminatum, parum convexum, læve, nitidissimum, pilis rarioribus sparsum.

Mandibulæ directæ, breves, fortes; paullo plus dimidio longiores quam latiores sunt, patellas anticas longitudine fere æquantes, femoribus anticis paullo angustiores, in dorso satis convexæ, pilis fortioribus sparsæ; sulcus unguicularis postice dentibus paucis parvis munitus est; unguis mediocris. *Maxillæ* sub-ovatæ, basi angustæ, apice late rotundato-truncatæ, apice intus oblique truncatæ, labio plus triplo longiores; *labium* duplo latius quam longius, apice latissime truncatum. *Palpi* formâ ordinariâ, parte tibiali vix duplo longiore quam latiore et parte patellari parum longiore: hæc pars aculeis duobus est munita; partes duæ insequentes, ut pars femoralis, sex aculeis præditæ videntur. Unguiculus gracilis, sat longus, in dorso rectus, apice deflexo sat longo; subter dentibus acuminatis sensim longioribus et non densis 3—4 armatus est. *Pedes* breves et robusti, 1^i paris, ut videtur, paullo longiores quam pedes 2^i paris; 4^i paris pedes non multo breviores sunt quam pedes anteriores. Nitidi sunt pedes, minus dense pilosi, aculeis sat crebris, subter in tibiis et metatarsis fortibus et longis, præterea brevioribus et sat gracilibus, armati. Femora anteriora 5 vel 6 aculeis munita sunt; patellæ aculeis carere videntur (?); tibiæ anteriores subter 2. 2. 2. 2. 2. 2. (sex paribus), metatarsi anteriores subter 2. aculeis longis sunt armati, præterea mutici; tibiæ posteriores supra aculeo carere videntur. Metatarsi anteriores et tarsi omnes scopula densa præditi sunt. Unguiculi duo longi sat fortes, in dorso recti, apice fortiter deflexo sat brevi; dentibus sat brevibus pectinati sunt, in altero unguiculo densissimis et circa 8, in altero rarioribus, magis acuminatis et circa 6 (ita in pedibus 1^i paris). Fasciculi unguiculares densi, breviores, pili eorum apice dilatati. *Abdomen* in nostro exemplo corrugatum est; breviter sub-ovatum fuisse videtur, et pilis sat densis sparsum.

Color. — *Cephalothorax* luteo-testaceus, fulvo-pilosus, fasciis duabus longitudinalibus posteriora versus paullo divaricantibus, latis, nigris ornatus, quæ postice leviter incurvæ et paullo abbreviatæ sunt; clypeus et area oculorum (saltem antice) nigra quoque, remanentibus luteis modo spatio inter fascias, quod iis saltem duplo latius est, et marginibus partis thoracicæ lateralibus et postico, qui iis sunt angustiores. *Mandibulæ* piceæ; *sternum*, *maxillæ* et *labium* pallide fusco-testacea. *Palpi* et *pedes* pallide fusco-testacei et pallido-pilosi quoque, hi supra magis luteo-testacei (subter apicem versus paullo obscu-

riores), metatarsorum et tarsorum summo apice nigricanti: in pedibus anterioribus patellæ pæne totæ et tibiæ apice sat late nigræ sunt, in pedibus posterioribus modo patellæ paullo infuscatæ videntur. *Abdominis* color in nostro exemplo deperditus est; sub-testaceum fuisse videtur: in dorso ejus, antice, remanent vestigia fasciarum duarum longitudinalium latarum nigrarum. *Mamillæ* fuscæ, apice pallidæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. 6 millim. Lg. cephaloth. 3, lat. ej. paullo plus $2^1/_2$, lat. front. $1^1/_2$; lg. abd. 3, lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I 9, II pæne 9 (tibia paullo plus 2), III $6^1/_2$, IV $8^1/_4$ (pat. + tib. 3) millim. longi.

In Sambelong sive Nicobare Majore (G.) capta est femina junior, quam singulam vidi et supra descripsi. Quamquam e. gr. oculis mediis anticis longius inter se quam a lateralibus anticis remotis a specie typica gen. *Serambæ*, *S. picta*, Thor.,[1] differt hæc species, attamen *Serambæ* subjungi posse mihi videtur. Ad colorem et magnitudinem cum *Xysticis* quibusdam, e. gr. *X. bifasciato*, C. L. Koch, similitudinem quandam ostendit *S. bifasciata*, quæ tamen *Heteropodoidarum*, non *Misumenoidarum*, familiæ est.

Gen. **Pharta,**[2] n.

Cephalothorax fere æque latus ac longus, utrinque antice fortiter sinuato-angustatus, non multo altus, dorso ante declivitatem posticam sensim proclivi; spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos eorum diametrum circiter æquat.

Area oculorum, in series duas pæne parallelas dispositorum, circa duplo et dimidio latior est quam longior; series oculorum postica serie antica circiter dupla diametro oculi lateralis postici longior est et leviter recurva, series antica desuper visa recta, a fronte visa leviter sursum curvata: linea recta oculos medios anticos infra tangens laterales infra tangit, immo (paullo supra marginem inferiorem) secat. Oculi, mediis anticis minutis exceptis, sat magni sunt, laterales præsertim; area oculorum mediorum æque saltem longa est ac lata et multo latior postice quam antice. Spatia inter oculos utriusque seriei sub-æqualia sunt.

Mandibulæ sub-cylindratæ, directæ, in margine postico sulci unguicularis dentibus armatæ.

Maxillæ parallelæ, ovatæ, parum in labium inclinatæ eoque plus duplo longiores; labium transversum, apice rotundato-truncato.

Pedes graciles, anteriores posterioribus circa duplo longiores iisque non parum fortiores, tibiis et metatarsis anterioribus subter aculeis longis appressis crebris armatis; unguiculi tarsorum breves, pectinato-dentati, fasciculi unguiculares vix ulli.

Abdomen depressum, breviter sub-ovatum; mamillæ breves.

Typus: *Ph. bimaculata*, n.

Forma mandibularum in hoc genere eadem est atque in *Heteropodoidis* typicis, quam ob causam *Phartam* ad hanc familiam retuli; habitu vero in universum, forma unguiculorum tarsorum, ut et fasciculis unguicularibus parum evidentibus, *Misumeninis* valde affinis

[1] [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II.] Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 254.

[2] Φάρτη, nom. propr. pers. mythol.

est, distributione oculorum, quorum sex majores triangulum utrinque formant et duo minuti antice inter apices horum triangulorum positi sunt, satis insignis.

60. ***Ph. bimaculata,*** N., *cephalothorace fusco-testaceo, impressionibus cephalicis infuscatis et summo margine laterali nigro; pedibus sub-fusco-testaceis, anteriorum tibiis et metatarsis infuscatis, femoribus anterioribus subter nigro-punctatis, pedibus posticis paullo nigro-maculatis; tibiis anterioribus 5 paribus, metatarsis anterioribus 4 paribus aculeorum longissimorum subter armatis; abdomine testaceo-fusco, punctis striisque nigris variato et fere in medio dorsi maculis duabus majoribus nigris notato. — ♀ jun. Long. saltem $2^3/_4$ millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* forma ordinaria est, æque longus et latus, paullo longior quam tibia cum patella 4^1 paris, in lateribus partis thoracicæ ample et fortiter rotundatus, antice utrinque fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica quoad libera est parva et brevi, latitudine frontis truncatæ $^1/_3$ latitudinis maximæ cephalothoracis vix superanti. Minus altus est cephalothorax, transversim modice convexus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam, quæ reliquo dorso paullo brevior et sat leviter declivis est, anteriora versus usque ad oculos posticos paullo minus fortiter proclivi et, præsertim postice, paullo convexo, area oculorum mediorum præruptius proclivi. Clypeus directus; spatium inter marginem ejus et oculos laterales anticos horum diametrum fere æquat. Pæne lævis et subnitidus est cephalothorax, impressionibus cephalicis distinctis, sulco centrali vix ullo. *Oculi* sex majores duos triangulos formant, inter quorum apices, anteriora versus directos, oculi duo medii antici minuti locum tenent. Oculi laterales antici, reliquis majores, mediis anticis multis partibus majores sunt, lateralibus posticis (qui mediis posticis non parum sunt majores) pæne dimidio majores; medii postici mediis anticis circa duplo majores videntur. Spatium inter oculos medios anticos duplam eorum diametrum fere æquat et paullulo minus est quam spatia, quibus a lateralibus anticis remoti sunt hi oculi; spatium inter oculos medios posticos eorum diametrum saltem æquat, et paullo minus est quam spatia, quibus hi oculi a lateralibus posticis distant. Spatium inter oculos binos laterales posterioris eorum diametrum æquat: multo minus est quam spatia, quibus oculi medii antici a mediis posticis separati sunt. Area oculorum mediorum paullulo longior videtur quam latior postice, et pæne duplo latior postice quam antice. *Sternum* paullo longius quam latius, ovato-cordiforme.

Mandibulæ directæ, cylindratæ, apice intus late et valde oblique truncatæ, in dorso parum convexæ, læves et parum pilosæ; circa duplo longiores quam latiores sunt, tibiis anticis paullo angustiores. Sulcus unguicularis saltem in margine postico dentibus paucis (3 ?) armatus est; unguis mediocris. *Pedes* sat graciles, anteriores longi (1^1 paris cephalothorace 4:plo longiores), posteriores iis duplo breviores et non parum graciliores. Pedes anteriores subter in tibiis et metatarsis aculeis longis appressis armati sunt, 5 paribus aculeorum in tibiis, 4 paribus in metatarsis: præterea tibiæ horum pedum etiam in latere saltem anteriore 1. 1. 1. aculeos parvos habent, et metatarsi ibidem, ut videtur, 1. 1. aculeos. Ceterum modo parce aculeati sunt pedes, aculeis brevibus. Unguiculi tarsorum breves, dorso curvato; dentibus longis densis (circa 5—7 in pedibus anterioribus) pectinati sunt; fasciculi unguiculares vix ulli dicendi. *Abdomen* sub-depressum, paullo longius quam latius, breviter ovatum fere.

Color. — *Cephalothoraæ* fusco-testaceus est, summo margine laterali nigro et impressionibus cephalicis nigricantibus; utrinque anterius vestigia macularum nigricantium ostendit quoque; setulis paucioribus nigris sparsus est. *Sternum* albicanti-pilosum cum *partibus oris* pallide fusco-testaceum est; *palpi* ejusdem coloris. *Pedes* quoque pallide fusco-testacei, nigro-pubescentes et paullo nigro-setosi, tibiis et metatarsis anterioribus (vel saltem 1ⁱ paris) nigricantibus, femoribus anterioribus inferius dense et inæqualiter nigricanti-punctatis, pedibus 4ⁱ paris versus apicem paullo nigro-maculatis vel -sub-annulatis; aculei subter in pedibus anterioribus fusci sunt, punctis nigris impositi. *Abdomen* sordide testaceo-fuscum, maculis duabus sat magnis rotundatis nigris notatum, quæ in medio vel parum pone medium dorsi, una utrinque, locum tenent et spatio sat parvo disjunctæ sunt; præterea nidorso et in lateribus striis et maculis parvis nigris sat dense conspersum et variatum est abdomen, et setis brevibus obtusis nigris sparsum. Venter sub-fuscus, albicanti-pubescens; *mamillæ* sub-testaceæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. $2^3/_4$ millim.; lg. cephaloth. $2^1/_2$, lat. ej. $1^1/_2$, lat. clyp. paullo plus $^1/_2$; lg. abd. pæne 2, lat. ej. pæne $1^1/_2$ millim. Ped. I 6, II $5^3/_4$, III 3, IV $3^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV circa $1^1/_4$ millim.

Feminam, ut videtur nondum adultam, a se in ins. Singapore captam dono mihi dedit Cel. Workman.

Gen. **Mastira,**[1] n.

Cephalothorax modice altus et convexus, æque fere latus et longus, utrinque anterius modo leviter sinuato-angustatus, clypeo lato, directo, altitudine longitudinem areæ oculorum mediorum vix vel non æquanti, sed diametrum oculorum lateralium anticorum multo superanti.

Oculi parvi; series oculorum postica longa, modice recurva, series antica leviter sursum curvata. Oculi seriei posticæ æquales et spatiis æqualibus separati sunt, oculi laterales antici mediis anticis majores et non vel parum longius ab iis quam ii inter se remoti. Area oculorum mediorum latior postice quam antice, latior postice quam longior.

Mandibulæ directæ, pæne cylindratæ, in dorso versus basin convexæ, sulco unguiculari modo antice dentibus (saltem uno alterove minuto) armato.

Maxillæ, in labium inclinatæ, eo vix dimidio longiores sunt, ante insertionem palpi sinuato-angustatæ, apice extus sat late rotundato-truncato.

Labium magnum, paullo longius quam latius, anterius fere in formam trianguli angustatum.

Pedes graciles, parce aculeati, anteriores posterioribus circa duplo longiores et paullo robustiores; tarsi unguiculis brevibus dense pectinato-dentatis muniti, fasciculis unguicularibus carentes.

Abdomen sub-depressum, breviter sub-ovatum, postice sub-acuminatum.

Typus: *M. bipunctata,* n.

---

[1] Μάστειρα, nom. propr. pers.

Hoc genus etiam magis quam *Pharta*, N., cui ad habitum in universum sat simile est, *Misumeninarum* speciem præ se fert, a gen. *Misumena* parum nisi mandibulis subcylindratis et in dorso convexis differens; sulcus unguicularis minus distinctus est quam in reliquis Heteropodoidis et dentibus in margine postico caret, modo antice dentibus 2 (vel 3 ?) armatus. Eodem fere jure igitur ad Misumenoidas atque ad Heteropodoidas referri potest hoc novum genus.

61. ***M. bipunctata,*** N., *cephalothorace ferrugineo-testaceo, pedibus anterioribus ejusdem coloris, apice late pallidioribus, femoribus, patellis tibiisque apice nigris, pedibus posterioribus flavo-testaceis totis; abdomine nigricanti-cinereo, punctis duobus nigris, uno utrinque, fere in medio dorsi notato. — ♂ ad. Long. circa 3 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* æque longus et latus est, patellam + tibiam + metatarsum 4i paris longitudine circiter æquans, in lateribus partis thoracicæ amplissime et sat fortiter rotundatus, postice late truncatus, utrinque antice levissime sinuatus, parte cephalica (quoad libera est) lata, brevissima, lateribus rectis anteriora versus paullo angustata, fronte pæne truncata $^2/_3$ latitudinis maximæ cephalothoracis latitudine circiter æquanti. Modice altus est cephalothorax, transversim satis convexus (etiam antice), dorso a latere viso ante declivitatem posticam, quæ reliquo dorso non multo brevior est, sat fortiter convexo et paullo proclivi, clypeo directo: altitudo ejus longitudine areæ oculorum mediorum paullulo minor est. Lævis et nitidus est cephalothorax, pilis paucissimis sparsus, impressionibus cephalicis et sulco centrali carens. Series *oculorum* postica longa est modiceque recurva, series antica eà non parum brevior, desuper visa pæne recta, a fronte visa leviter sursum curvata. Oculi parvi; oculi seriei posticæ æquales sunt et spatiis æqualibus separati; oculi laterales antici mediis anticis non parum sunt majores, et spatiis vix vel parum majoribus ab iis remoti, quam quo distant medii antici inter se, hoc spatio oculi diametro circa duplo majore. Area oculorum mediorum non parum latior est postice quam antice, et æque longa ac lata antice. Oculi bini laterales, callo communi humili obliquo impositi, spatio diametro oculi lateralis antici pæne duplo majore sejuncti sunt, hoc spatio paullo minore quam sunt spatia inter oculos medios anticos et posticos. *Sternum* maximum, paullo latius antice quam longius, antice omnium latissime truncatum, cordiformi-triangulum fere, paullo convexum, læve, nitidum, parce pubescens; postice obtuse acuminatum est, sed vix inter coxas posticas, quæ spatio diametrum suam pæne æquanti separatæ sunt, productum.

Mandibulæ directæ, a basi ad apicem intus late et valde oblique rotundato-truncatum sensim modo leviter angustatæ; pæne duplo longiores quam latiores sunt, femoribus anticis paullo angustiores, in dorso versus basin modice convexæ, læves, nitidæ, parcius pubescentes; sulcus unguicularis antice dentibus 2 (3 ?) minutis armatus est, margo ejus posticus muticus. Unguis brevis et debilis. *Palpi* breves, sat graciles, clava tibias anticas latitudine vix æquanti. Pars patellaris paullulo longior quam latior est, pars tibialis eâ paullulo brevior et saltem basi paullo angustior, æque longa ac lata, apice lateris exterioris in procursum porrectum pallidum, cujus apex angustatus deorsum flexus videtur, excurrenti; pars tarsalis partes duas priores conjunctas longitudine æquat, parte tibiali fere dimidio latior, ovato-lanceolata fere, margine exteriore paullo pone medium angulum prominentem formanti; bulbus sat parvus et humilis, pallidus et in centro niger, spina longissima gracili nigra gyros duos circulatos formanti circumdatus. *Pedes* anteriores longi

(1^i paris cephalothorace 4.plo longiores) et sat graciles, posteriores iis duplo breviores et non parum graciliores. Tarsorum unguiculi, sat breves et in dorso ad longitudinem convexi, dentibus longis et densis sat multis (in 1^i paris pedibus circa 6 et 10) pectinati sunt. Aculei pedum graciles et sat breves. In pedibus 1^i paris, e. gr., femora saltem 7 aculeos habent; tibiæ et metatarsi anteriores subter aculeos 2. 2. patentes (i. e. non appressos) ostendunt, antice et postice vero 1. 1. 1. aculeos. *Abdomen* paullo longius quam latius, sub-depressum, breviter ovatum, apice sub-acuminatum. *Mamillæ* mediocres.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-testaceus, parte cephalica paullulo pallidiore, callo oculorum lateralium albicanti. *Sternum* et *partes oris* fusco-testacea. *Palpi* ejusdem coloris. *Pedes* anteriores ferrugineo-testacei, metatarsis tarsisque pallidioribus, femoribus, patellis et tibiis vero apice sat late nigris; pedes posteriores flavo-testacei sunt. *Abdomen* nigricanti-cinereum, pallido-pubescens, punctis duobus nigris fere in medio dorso sitis et spatio sat longo disjunctis notatum; supra anum lineolas paucas breves transversas albicantes minus distinctas ostendit, in seriem longitudinalem dispositas. *Mamillæ* cinerascentes.

Lg. corp. 3 millim.; lg. cephaloth. $1^1/_2$, lat. ej. circa $1^1/_2$, lat. clyp. circa 1; lg. abd. $1^1/_2$, lat. ej. pæne $1^1/_4$ millim. Ped. I 6, II pæne 6, III pæne 3, IV paullo plus 3 millim. longi; pat. + tib. IV parum plus 1 millim.

Marem, quem in Singapore cepit, dono mihi dedit Cel. WORKMAN.

Fam. **Misumenoidæ.**

Subfam. *Misumeninæ.*

Gen. **Peltorhynchus,** THOR. [1]

62. ***P. rostratus,*** THOR., *cephalothorace posterius sat alto (dorso pæne a declivitate postica ad oculos anticos proclivi et ad longitudinem parum convexo), tuberculis nonnullis sparso et in medio areæ oculorum mediorum serie vel fascia transversa spinularum parvarum munito, nigricanti, parte cephalica tuberculisque plerisque ferrugineis, area oculorum et clypeo (qui serie longa transversa leviter procurva spinularum parvarum nigrarum prope marginem armatus est) cinereo-albicantibus; spatio inter marginem clypei et oculos medios anticos spatium inter eos et medios posticos æquanti; serie oculorum postica, quæ præsertim longa est, modice recurva, serie antica pæne recta, parum retro et sursum curvata; oculis lateralibus anticis magnis, lateralibus posticis iis paullo minoribus; oculis mediis parvis (lateralibus circa triplo minoribus), in rectangulum paullo latius quam longius dispositis; oculis mediis anticis spatio plus duplo minore a lateralibus anticis quam inter se remotis, mediis posticis spatio paullo minore a lateralibus posticis quam inter se distantibus; mandibulis deorsum et anteriora versus directis, in dorso ample (non usque ad basin et ad latus exterius tamen) excavatis, hac excavatione spinulis longis aliisque brevissimis circumdata et basi paullo spinulosa quoque; sterno lævi, cum maxillis et labio dense et brevissime spinulosis nigro; pedibus modice aculeatis, cinereo-testaceis, plus minus nigro-annulatis, anteriori-*

[1] Genus præsertim clypeo plane librato sive porrecto insigne, *Hedanæ*, L. KOCH, præterea satis affine.

bus subter ad maximam partem (basi) nigris; abdomine inverse et breviter pentagono-ovato, dorso cinerascenti, nigro-variato, apice sat late nigricanti et præterea macula sat magna inæquali nigra ad utrumque latus, fere in medio dorsi sita, notato, ante has maculas vero linea pallida transversa in medio abrupta, et pone eas, in area cinerascenti, lineis transversis tribus pallidis notato; ventre in medio ad longitudinem latissime nigro. — ♀ ad. (?) Long. circa 5 millim.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. $2^1/_4$, lat. ej. 2, lat. clyp. circa $1^1/_3$; lg. abd. 3, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I et II $6^1/_2$, III $4^1/_4$, IV $4^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV circa $1^2/_3$ millim.

Feminam singulam in ins. Pinang cepit Cel. Workman; mas, qui ejusdem speciei videtur, in Java inventus est.

Gen. **Loxobates**, Thor., 1877.

63. ***L. ornatus***, n., *cephalothorace limbo latissimo viridi in lateribus et antice cincto, dorso ferrugineo-testaceo, fascia longitudinali lata inæquali nigro-fusca notato; area oculorum sat magna, oculis mediis rectangulum multo longius quam latius formantibus; pedibus anterioribus viridibus, patellis, tibiis, metatarsis et tarsis pallide ferrugineis, tibiis in medio tamen virentibus et, ut metatarsis, basi et apice nigris, patellis apice nigris; posterioribus pedibus virentibus; abdomine antice alto et in formam coni obtusi paullo producto, desuper viso sub-lanceolato, sub-luteo, fascia media longitudinali latissima nigro-fusca, antice geminata, posterius angustiore et hic utrinque inæqualiter dentata ramulosque transversos emittenti ornato. — ♀ ad. Long. circa 6 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, tibiâ cum patella 1^1 paris paullo brevior, desuper visus lateribus postice fortiter, præterea modo leviter rotundatis præsertim anteriora versus paullo angustatus, postice truncatus, angulis ample rotundatis; antice (margo clypei) modice rotundatus est, latitudine clypei $^3/_4$ latitudinis maximæ cephalothoracis æquanti. Frons inter oculos laterales anticos truncata est, oculis mediis anticis prominentibus. Altissimus est cephalothorax, æque fere altus ac latus, dorso non ita lato, transversim posterius fortiter, antice parum convexo, lateribus non directis, sed prærupte declivibus et leviter convexis. A latere visum dorsum ante declivitatem posticam (quæ reliquum dorsum longitudine circiter æquat et valde prærupta est leviterque convexa) postice convexum est, præterea vero usque ad oculos parum convexum et libratum, area oculorum sat fortiter proclivi; clypeus prærupte proclivis (non directus) et ad longitudinem rectus est, transversim vero convexus, altitudine longitudinem areæ oculorum mediorum et longitudinem mandibularum non parum superans. Facies infra (margo clypei) paullo latior est quam supra (latitudo seriei oculorum posticæ), et paullo altior quam latior supra, ubi parum convexa est. Lævis et nitidissimus est cephalothorax, glaber, impressionibus cephalicis distinctis carens; sulcus ordinarius centralis impressione levi in declivitate postica repræsentatur. Area *oculorum* mediocri magnitudine est, lunata. Series oculorum duæ desuper visæ fortiter recurvæ sunt; series antica, postica multo brevior, a fronte visa sat fortiter sursum est curvata; linea recta oculos medios supra tangens late-

rales infra tangit, non secat. Oculi laterales antici lateralibus posticis (tuberculo sat magno impositis) circa dimidio, oculis mediis sub-æqualibus et sat parvis circa duplo majores sunt. Area oculorum mediorum plane rectangula est, pæne dimidio longior quam latior. Spatium inter oculos binos laterales, diametro oculi lateralis antici pæne triplo majus, non majus sed potius paullulo minus est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis sunt remoti. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro duplo majus est et paullulo (parum quidem) majus quam spatia, quibus a lateralibus anticis distant hi oculi. Oculi medii postici, spatio duplam oculi diametrum æquanti separati, duplo longius a lateralibus posticis quam inter se distant. *Sternum* sub-ovatum, antice late truncatum, lævissimum.

Mandibulæ sub-conicæ, deorsum et paullo anteriora versus directæ, saltem dimidio longiores quam latiores basi, ubi femora antica latitudine æquant; in dorso modo leviter convexæ sunt, læves et nitidæ. *Maxillæ* modo leviter in labium inclinatæ, longæ, labio duplo longiores, formâ ordinariâ; *labium* multo longius quam latius, apicem anguste truncatum versus sensim angustatum. *Palporum* pars patellaris paullulo longior quam latior est, pars tibialis ejus longitudine, et fere dimidio longior quam latior. *Pedes* sat graciles, anteriores multo longiores et non parum fortiores quam posteriores, qui aculeis paucissimis muniti videntur. Pedes anteriores contra aculeis compluribus gracilibus armati sunt: femora 1[i] paris aculeos paucos habent; tibiæ anteriores subter 3 vel 4 paria aculeorum ostendunt, et præterea in utroque latere 1. 1. 1. aculeos parvos; metatarsi anteriores subter 5 paribus aculeorum, et in utroque latere 1. 1. aculeis (altero eorum apicali) armati sunt. Unguiculi tarsorum dentibus longis densis sunt pectinati; fasciculi unguiculares parvi, pili eorum ad partem apice dilatati. *Abdomen* circa duplo longius quam altius antice, et non parum altius antice quam postice, antice in formam coni obtusi paullo productum; desuper visum circa duplo et dimidio longius est quam latius, antice et postice anguste rotundatum, lateribus leviter et pæne æqualiter rotundatis præsertim posteriora versus sensim angustatum, sub-lanceolatum; a latere visum antice late et oblique truncatum est, postice quoque breviter et oblique truncatum vel prærupte declive, dorso præterea recto et posteriora versus sensim sat leviter declivi. Venter paullo ante rimam genitalem impressionem sat magnam levem antice fortiter rotundatam habet, quæ postice tubercula duo parva fusca, spatio diametro sua paullo majore separata ostendit. *Mamillæ* non ita breves; art. 2[s] superiorum æque longus ac latus videtur.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-testaceus, limbo omnium latissimo viridi in lateribus et antice cinctus, et fascia longitudinali nigro-fusca, anterius constricta et dimidiata, parum pone oculos medios posticos initium capienti et ad declivitatem posticam pertinenti notatus. *Sternum* viride. *Mandibulæ* virides, apice testaceæ, puncto nigro-fusco; *maxillæ* et *labium* nigricantia. *Palpi* pallide fusco-testacei, basi latissime virescentes. *Pedes* anteriores virides, patellis, tibiis, metatarsis et tarsis tamen pallide ferrugineis, patellis apice, tibiis (in medio late virentibus) et metatarsis basi et apice anguste nigris; pedes posteriores virentes, apice magis testacei vel fusco-testacei. Aculei nigri. *Abdomen* supra et in lateribus sub-luteum est, fascia media longitudinali inæquali omnium latissima nigro-fusca, ab apice dorsi antico ad apicem ejus posticum ducta ornatum: hæc fascia linea vel fascia pallida inæquali usque ad medium satis anguste geminata est, paullulo ante medium utrinque paullo dilatata, et tum cito angustata, parte posteriore (angustiore)

in marginibus inæquali vel denticulata et lineolam transversam (vel lineolas transversas tres ?) utrinque emittenti. Venter virescenti-luteus postice lineas vel fascias duas longitudinales posteriora versus appropinquantes purpureo-fuscas ostendit; scuta pulmonalia flava sunt. *Mamillæ* superiores nigræ, inferiores purpureo-fuscæ.

Lg. corp. 6 millim.; lg. cephaloth. $2^1/_4$, lat. ej. 2, lat. clyp. paullo plus $1^1/_2$; lg. abd. 4, lat. ej. $1^4/_5$, alt. ej. (antice) paullo plus 2 millim. Ped. I 7, II $6^3/_4$, III circa $3^3/_4$, IV paullo plus 4 millim. longi; pat. + tib. IV $1^1/_2$ millim.

Cel. Workman feminam singulam pulchræ hujus araneæ in ins. Pinang invenit.

Gen. **Orus,**[1] n.

Cephalothorax parum longior quam latior, humilis; frons angusta, carina transversa et angulis prominentibus carens; clypeus proclivis, altitudine longitudinem areæ oculorum mediorum saltem æquans.

Oculi sat parvi, laterales antici reliquis non parum majores, medii postici reliquis minores; oculi laterales suo quisque tuberculo impositi. Series oculorum duæ fere parallelæ, postica longior et desuper visa recurva, anterior a fronte visa fere æque fortiter sursum curvata. Area oculorum mediorum longior quam latior, saltem æque lata antice ac postice. Oculi medii antici circa æque longe inter se et a lateralibus anticis distant; medii postici longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt.

Sternum magnum, postice inter coxas 4^i paris usque ad petiolum productum.

Mandibulæ sat parvæ, conicæ, deorsum et anteriora versus directæ, ungui parvo.

Maxillæ in labium inclinatæ, basi latæ, ante insertionem palpi multo angustiores, latere exteriore versus apicem rotundato sub-acuminatæ, labio non dimidio longiores; labium multo longius quam latius, apice fere in formam trianguli angustato.

Pedes anteriores longi, aculeis crebris armati, posteriores pedes iis graciliores et fere duplo breviores.

Abdomen longius, posteriora versus non dilatatum.

Mamillæ apicales.

Typus: *O. virens*, n.

Hoc genus *Tmaro*, Sim., affine est, fronte angusta, area oculorum mediorum antice æque lata ac postice, serie oculorum antica sursum curvata, cet., a genere illo discrepans.

64. ***O. virens***, n., *plus minus virescens totus, cephalothorace linea tenui angulato-flexuosa alba in utroque latere, et linea media tenuissima alba, per* V *album partis cephalicæ ducta, notato; tibiis anterioribus subter 2. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis, metatarsis anterioribus subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatis.* — ♀ *ad. Long. circa 10 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullulo longior quam latior, tibiâ 2^i paris paullo brevior, utrinque antice, paullo pone oculos, fortissime sinuato-angustatus, lateribus partis thoracicæ amplissime et fortiter rotundatis, hac parte postice latissime truncata; pars cephalica parva, quoad libera est pæne duplo latior quam longior, lateribus rectis et parallelis, fronte

[1] Ὦρος, nom. propr. pers.

(margine clypei) rotundata $^1/_3$ latitudinis partis thoracicæ circiter æquanti. Humilis est cephalothorax, parum convexus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam brevem convexam et satis præruptam recto et librato, parte cephalica anterius paullulo elevata paulloque convexa. Clypeus et transversim et ad longitudinem convexus, est non directus sed proclivis, ita ut visibilis sit, quum desuper inspicitur cephalothorax; spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos longitudinem areæ ab oculis 4 mediis occupatæ paullo superat. Impressiones cephalicæ distinctissimæ sunt, sulcus ordinarius centralis longe retro situs, levis et brevis, sed, ut videtur, in declivitate postica ut impressio levissima productus. Minus nitidus est cephalothorax, omnium subtilissime coriaceus et granulis minutissimis hic illic parce sparsus, quæ pilum minutum gessisse videntur; in clypeo setas paucas porrectas ostendit, præterea pæne glaber. Area *oculorum* sat parvorum sublunata circa $^3/_4$ latitudinis frontis occupat; series postica fere dupla diametro tuberculi oculi lateralis longior est quam antica, desuper visa sat leviter (paullo minus fortiter quam series antica) recurva; a fronte visa series antica sat leviter sursum curvata est. Oculi laterales suo quisque tuberculo sat parvo impositi sunt, antici eorum reliquis oculis majores, mediis anticis et lateralibus posticis sub-æqualibus fere duplo majores; medii postici mediis anticis paullo minores sunt, spatio diametro sua saltem triplo majore separati et a lateralibus posticis saltem dimidio (vix duplo) longius quam inter se remoti. Oculi medii antici, spatio diametro sua pæne triplo majore sejuncti, æque longe a lateralibus anticis atque inter se distant. Area ab oculis 4 mediis occupata plane rectangula est, non parum (vix dimidio tamen) longior quam latior. Spatium inter oculos binos laterales spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant, saltem æquat. *Sternum* magnum, longius quam latius, in lateribus rotundatum, antice minus late truncatum, postice inter coxas 4^i paris (quæ spatio diametrum suam æquanti separatæ sunt) usque ad petiolum continuatum.

Mandibulæ parallelæ, deorsum et anteriora versus directæ, patellis anticis breviores et angustiores; spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos longitudine paullo superantes, circa duplo longiores quam latiores basi, a basi ad apicem sensim angustatæ, in dorso versus basin satis convexæ; læves et nitidæ sunt, setis paucis sparsæ; sulcus unguicularis obsoletus, inermis. Unguis brevissimus. *Palpi* densius setosi; pars patellaris dimidio longior quam latior est, pars tibialis eà vix longior et modo parum angustior; pars tarsalis duas priores longitudine æquat, iis paullo angustior, cylindrata, apice obtusa; unguiculus parvus, sat robustus, in dorso recto, pone apicem fortiter deorsum curvatum dentibus 4 pectinatus. *Pedes* minus robusti, anteriores longi, posteriores iis pæne duplo breviores et non parum graciliores; pedes 1^i paris cephalothorace pæne 4.plo longiores sunt. Minus dense pilosi sed aculeis crebris et inæqualibus armati sunt pedes anteriores: in femoribus 1^i paris circa 13 aculei, ad magnam partem parvi, conspiciuntur; patellæ anteriores tres aculeos parvos, unum utrinque, unum ad basin supra, ostendunt; tibiæ anteriores (saltem 1^i paris) subter 4 paria aculeorum longorum habent, et 1. 1. aculeos minores in utroque latere (immo 1 minutum supra); metatarsi horum pedum 5 paribus aculeorum longorum sunt armati: ut videtur 3 paribus subter et 1. 1. aculeis in utroque latere. Pedes posteriores aculeis modo paucis et brevibus sunt muniti. Unguiculi longiores, fortes, dorso pæne recto, apice fortiter deorsum curvato; in pedibus 1^i paris alter unguiculorum 7, alter saltem 10 dentibus pectinatus est. Pili fasciculorum unguicularium

apice incrassati sunt, sub-clavati, inæquales. *Abdomen* fere duplo et dimidio longius quam latius, basi leviter rotundatum, a basi ad medium lateribus pæne rectis sensim paullulo dilatatum, dein usque ad apicem posticum sensim angustatum et sub-acuminatum. In medio dorsi foveas duas oblongas ostendit, pone quas sequuntur tres series longitudinales foveolarum levissimarum 5; etiam ante foveas illas series duæ foveolarum levissimarum ejusmodi anteriora versus sunt extensæ, inter quas foveolæ tres ordinariæ conspiciuntur. *Vulva* ex circulis duobus pallidis minutis paullo ante rimam genitalem sitis constat, inter quos, anterius, lineolas duas minutas parallelas fuscas video. *Mamillæ* superiores parum longiores quam inferiores, art. 1° cylindrato et saltem dimidio longiore quam latiore, art. 2° paullo transverso, obtuso.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-virens, vestigiis lineæ longitudinalis angulato-undulatæ albæ utrinque versus marginem notatus (anguli tres exteriores harum linearum ut lineolæ ad marginem cephalothoracis producti sunt) aliusque lineæ tenuissimæ mediæ albæ, quæ postice in parte cephalica V parvum albicans secat et pone id geminata est; tubercula 4, quibus insistunt oculi laterales, alba. *Sternum* et *partes oris* sub-testacea, colorem virentem sentientia. *Palpi* et *pedes* pallide virides, paullo pallido-pilosi et -setosi, aculeis pallidis, punctis nigris impositis. *Abdomen* sordide virescenti-testaceum, loco vasi dorsualis paullo obscuriore, et lineis sat densis transversis paullo obscurioribus utrinque striatum quoque, pilis brevibus albicantibus sparsum. *Mamillæ* sub-testaceæ.

Lg. corp. 10; lg. cephaloth. $3^1/_2$, lat. ej. $3^1/_4$, lat. front. $1^1/_6$; lg. abd. $6^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Ped. I 13, II $12^1/_2$, III pæne 7, IV 7 millim. longi; pat. + tib. IV $2^1/_2$ millim.

Feminam possideo, cum aliis in ins. Singapore a Cel. Workman captam. Viva nescio an magis viridis sit hæc aranea.

Gen. **Runcinia**, Sim., 1875.

65. ***R. disticta,*** Thor., *cephalothorace fusco-testaceo, fasciis duabus lateralibus latis parallelis fuscis et linea media tenui alba ab area oculorum longe retro ductis ornato, hac area vitta transversa alba supra occupata; abdomine pallide testaceo, in medio dorso maculis duabus parvis nigris et ante et inter eas linea longitudinali præsertim postice abbreviata alba notato, præterea supra paullo albo-maculato et, postice, transversim albo-lineato et macula una alterave fusca prædito, in lateribus, supra, lineis paucis abbreviatis sub-obliquis, conjunctim fasciam longitudinalem fuscam in utroque latere formantibus, notato, ventre pallido; pedibus flavo-testaceis, spinis fuscis, femoribus 1i paris antice fascia longitudinali alba notatis, tibiis anterioribus subter 3 vel 4 paribus aculeorum gracilium, metatarsis anterioribus subter 4 paribus aculeorum paullo majorum armatis.* — ♀ *ad. Long. circa* $4^1/_2$ *millim.*

Feminæ duæ in Nicobarium insulis captæ sunt, altera, major, in ins. Nanchovry, altera, multo minor et nondum adulta, in Kamorta (G.). Ab exemplis typicis Javanensibus (quorum color ad partem deperditus videtur) vix nisi pictura magis distincta et ventre pallido, non infuscato, differunt. Exemplum ex Nanchovry adultum haud dubie est: vulva ex tuberculis duobus parvis rotundatis nitidis fuscis constat, quæ spatio minuto dispincta sunt.

66. ***R. Kinbergii,*** Thor., *cinereo-testacea, cephalothorace longiore quam latiore, ipso dorso recto, fasciis duabus longitudinalibus latis nigro-fuscis versus margines notato, summo margine fusco quoque, tuberculis frontalibus carina transversa albicanti conjunctis; pedibus anterioribus cinereo-testaceis, subter versus basin dense nigro-punctatis, pedibus posterioribus testaceis; tibiis anterioribus subter 7—8 paribus, metatarsis anterioribus 10 paribus aculeorum subter armatis; abdomine circa triplo longiore quam latiore, antice rotundato, postice sat longe pone mamillas producto et sensim angustato, lateribus anterius sub-parallelis, supra fasciis duabus longitudinalibus albicantibus ab apice postico saltem ad medium dorsi pertinentibus notato. — ♀ ad. Long. circa 6 millim.*

Hujus speciei, in Java detectæ, femina adulta a D:re P. A. Klein ad Tjadé in Atjeh Sumatræ capta fuit. Ab exemplo typico ventre obscuriore et fascia longitudinali fusca utrinque ornato differt.

Gen. **Daradius,** Thor., 1870.

67. ***D. armillatus,*** n., *cephalothorace antice utrinque in angulum frontalem fortem acuminatum foras directum producto, fusco-testaceo, dorso secundum medium saltem posterius late pallidiore, area oculorum pæne tota alba; pedibus flavo-testaceis, femoribus et tibiis anterioribus annulis binis albis, supra abruptis, cinctis, his annulis subter in femoribus saltem 2^{i} paris linea transversa nigra notatis; abdomine toto flavo-testaceo, sub-pentagono, æque circiter lato ac longo, angulis lateralibus, pone medium sitis, paullo prominentibus. — ♀ ad. Long. circa 8$^{1}/_{2}$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo brevior est quam tibia cum patella 1^{i} paris, vix longior quam latior, in lateribus ample et fortiter rotundatus, utrinque paullo pone oculos cito sinuato-angustatus, et tum subito utrinque in angulum fortem acuminatum foras paulloque anteriora versus et sursum directum dilatatus, fronte inter hos angulos in costam latam humillimam sub-recurvam elevata; frons inter angulos levissime rotundata et sub-sinuata est. Postice altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam sat longam et pæne rectam usque ad oculos non parum proclivi et levissime convexo. Area oculorum mediorum sat fortiter proclivis est, clypeus prærupte proclivis, pæne directus, altitudine longitudinem areæ oculorum mediorum non æquans. Nitidus est cephalothorax, pæne undique (etiam in clypeo) granulis sat parvis rotundatis sat dense sparsus, pæne glaber. Series *oculorum* antica a fronte visa modice sursum curvata est, desuper visa leviter recurva; series postica desuper visa ea quoque leviter recurva. Oculi laterales antici reliquis oculis parvis et sub-æqualibus evidenter majores. Oculi medii aream transversam occupant, quæ fere dimidio latior est postice quam antice et circiter æque longa ac lata antice. Spatia omnia inter oculos magna; spatium inter oculos binos laterales (quorum anterior ad basin lateris anterioris anguli sive coni frontalis, posterior magis versus apicem lateris exterioris ejus locum tenet) reliquis spatiis minus est. Oculi medii antici non parum longius a lateralibus anticis quam inter se distant, medii vero postici fere dimidio longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt.

Mandibulæ directæ, sub-conicæ, sparse et breviter pilosæ; *palpi* breviter setosi. *Pedes* non ita longi sed robusti, parce et breviter pubescentes, præter subter in tibiis et

metatarsis anterioribus, quorum illæ subter 2. 2. vel 2. 1., hi 2. 2. 2. 2. aculeos sat breves sed fortes ostendunt, aculeis modo paucis parvis raris muniti: femora 1[i] paris aculeos ejusmodi circa 5 habet, femora 2[i] paris modo 1 aculeum; pedes posteriores modo unum alterumve aculeum parvum supra in tibiis habere videntur. *Abdomen* æque circiter longum ac latum, sub-pentagonum, angulis lateralibus paullo prominentibus et tuberculum parvum formantibus; basi pæne truncatum est, tum in lateribus usque ad angulos laterales (fere ad $^2/_3$ longitudinis) lateribus rectis sensim modice dilatatum, dein lateribus sat leviter rotundatis posteriora versus sensim et cito angustatatum, apice rotundato. Anterius dorsum ejus parum convexum est, pone angulos vero etiam transversim satis convexum, ad longitudinem fortiter convexum et prærupte declive; postice transversim sub-rugosum est, anterius punctis ordinariis 5 magnis præditum et præterea, secundum margines anticum et laterales, serie densa punctorum impressorum notatum. Latera abdominis oblique rugosa sunt, venter secundum medium transversim rugosum. *Vulva* ex area sub-elevata inæqualiter rotundata pallida constat, quæ in medio costas duas fuscas, sulco longitudinali separatas, anterius incrassatas ostendit; quæ costæ, usque ad marginem posticum areæ vulvæ productæ, conjunctim tuberculum angustissime ovatum fere formant.

Color. — *Cephalothorax* sub-fusco-testaceus, secundum medium dorsi late flavo-testaceus, hac area pallida saltem interdum antice triangulo magno paullo obscuriore notata et in marginibus leviter undulato-sinuata; margines laterales partis thoracicæ flavo-testacei quoque; area oculorum pæne tota alba. *Sternum*, *labium* et *maxillæ* pallide testacea, *mandibulæ* ejusdem coloris, sed apice sat late albæ, pilis pallidis sparsæ. *Palpi* fusco-setosi ut *pedes* pallide testacei sunt; femora anteriora tamen annulos binos albos saltem subter distinctos habent, alterum basalem, alterum fere in medio (magis versus apicem) situm, quorum hic linea vel vitta transversa nigra notatus est, ut est etiam annulus basalis femorum 2[i] paris. Patellæ anteriores apice subter late albæ sunt, tibiæ anteriores subter vittas binas transversas latas albas ostendunt. Pallido-pilosi sunt pedes, aculeis fuscis. *Abdomen* pallide flavo-testaceum; pone vulvam venter series duas longitudinales punctorum impressorum nigricantium ostendit. *Mamillæ* pallide flavo-testaceæ.

Lg. corp. $8^1/_2$ millim. Lg. et lat. cephaloth. paullo plus 4, lat. front. 3 millim.; lg. abd. $5^3/_4$, lat. ej. $5^3/_4$ millim. Ped. I 13, II $13^1/_2$, III pæne 7, IV $8^1/_2$ (pat. + tib. $3^1/_2$) millim. longi.

Femina singula adulta, quæ pellem nuper exuerat (cum pulla, quæ ejusdem speciei videtur, quamquam femora ejus anteriora vittis illis nigris subter carent), in ins. Chovry capta est (G.).

D. (*Misumenæ*) *pustulosæ* (L. Koch) simillima est hæc species, forma alia vulvæ et femoribus anterioribus subter transversim nigro-lineatis facile dignoscenda.

Gen. **Phrynarachne**, Thor., 1869.

68. ***Phr. papulata***, n., *cephalothorace alto, pustulis et tuberculis granisque dense sparso et inæquali, nigro, parte cephalica tota cum mandibulis ferrugineo-lutea; pedibus anterioribus supra flavis, femoribus basi fuscis, tibiis sursum curvatis apice latissime nigris, metatarsis tarsisque nigris, pedibus posticis pæne totis nigris; abdomine paullo latiore*

quam longiore, postice latissime truncato et prærupto, angulis posticis oblique truncatis, posteriora versus usque ad hos angulos lateribus rotundatis sensim dilatato, in dorso et in lateribus postice pustulis sparso, ad colorem nigro, maculis duabus magnis antice et plaga maxima postica sub-luteis ornato. — ♀ ad. Long. circa 13¼ millim.

Femina. — *Cephalothorax* æque longus et latus, tibiam cum patella 2i paris longitudine æquans, utrinque apud (pone) basin palporum fortiter sinuato-angustatus, parte thoracica pæne orbiculata, in lateribus fortissime et amplissime rotundata, postice late (emarginato-) truncata; latera partis cephalicæ brevissima, recta et pæne parallela sunt, frons levissime rotundata, latitudine dimidiam partem thoracicam non æquans. Altus et transversim fortiter convexus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam, quæ longa et recta et non multo prærupta est, anteriora versus sensim, et præsertim anterius, sat fortiter proclivi, inæquali; area oculorum etiam fortius proclivi, clypeo non directo sed prærupte proclivi. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos longitudine areæ oculorum mediorum vix vel parum minus est. Impressiones cephalicæ distinctissimæ, sulcus ordinarius centralis omnium brevissimus, in medio declivitatis posticæ lævissimæ locatus; ceterum cephalothorax totus pustulis rotundatis et oblongis, ad magnitudinem valde inæqualibus, sat humilibus, nitidis, ut et granulis (præsertim secundum margines laterales densis) plus minus dense obsitus et scaber est, pustulis et granis faciei plerisque parvis. Pars cephalica impressionem transversam paullo pone oculos posticos ostendit, et elevationem utrinque paullo pone oculum lateralem posticum, quo fit, ut cephalothorax a fronte visus hic non convexus sed paullo concavatus videatur. Area oculorum sub-lunata non totam latitudinem frontis occupat; series eorum postica, multo longior quam antica, desuper visa sat leviter recurva est, series antica desuper visa ea quoque sat leviter recurva, a fronte visa fortius (modice) sursum curvata. Oculi parvi, spatiis magnis separati; oculi laterales antici mediis anticis circa dimidio majores sunt, oculi postici saltem medii lateralibus anticis paullulo sunt minores. Oculi medii aream occupant, quæ modo paullulo latior est postice quam antice, et modo paullulo latior postice quam longior. Spatium inter oculos anticos medios (eorum diametro circa quadruplo majus) non parum majus est quam spatia, quibus a lateralibus anticis distant hi oculi. Spatium inter oculos binos laterales parum minus est quam id, quo medii antici a mediis posticis distant. Oculi 4 postici spatiis æqualibus separati sunt. *Sternum* breviter ovatum, antice truncatum, granulis sat parvis sparsum.

Mandibulæ sub-conicæ, in dorso deplanatæ et valde inæquales, plus dimidio longiores quam latiores basi, femoribus anticis non parum angustiores, pilis brevibus sparsæ. *Palpi* magis apicem versus scabri, pilosi et aculeis debilibus sparsi. *Pedes* breves, anteriores robustissimi, tibiis sursum curvatis; femora præsertim anteriora tuberculis et pustulis sub-conicis scabra sunt, tibiæ et metatarsi omnes sub-deplanata et inæqualia et non tantum subter, verum etiam in lateribus et supra aculeata, aculeis nec longis nec fortibus, sed subter præsertim in metatarsis crebris; femora modo supra aculeis paucissimis brevibus (in anterioribus pedibus fere 1. 1. 1.) armata sunt. *Abdomen* paullo latius quam longius, postice latissime truncatum et præruptum, declivitate postica igitur magna, alta, directa et pæne triangula, ipso dorso segmentum circuli maximum fere formanti, latitudine maxima paullo ante marginem posticum sita: antice non ita late rotundato-truncatum

est, lateribus dein sat leviter rotundatis sensim dilatatum, angulis posticis vero late et oblique truncatis, margine postico latissime truncato leviter emarginato. Pustulis nitidis rotundatis et oblongis, ad magnitudinem valde inæqualibus, ut et granulis sparsum est abdomen in dorso et in lateribus præsertim postice, ubi anguli bini pustulis magnis binis occupantur: præterea præsertim conspicuæ sunt pustulæ duæ inter se contingentes non parum ante medium dorsi locatæ aliæque duæ non longe a margine dorsi postico sitæ et spatio mediocri separatæ. *Vulva* ex callo parvo transverso nitido fusco constat, qui utrinque sulco minuto incurvo nigro limitatus videtur.

Color. — *Cephalothorax* niger, tota parte cephalica cum facie et *mandibulis* ferrugineo-lutea; *sternum*, *maxillæ*, *labium* et *palpi* nigra. *Pedes* posteriores nigri sunt, femoribus 3ii paris tamen pæne totis piceo-ferrugineis. In pedibus anterioribus coxæ nigræ et subter flavo-maculatæ sunt, femora ferrugineo-lutea, subter flavo-variata, apice supra flava (femora 1i paris potius supra flava, basi ferrugineo-lutea dicenda), patellæ flavæ, subter ferrugineo-luteæ, tibiæ sub-luteæ, apice latissime nigræ, metatarsi et tarsi nigri: omnes tarsi maculam parvam flavam basi, supra, ostendunt. Nigro- et ad partem subferrugineo-pilosi sunt pedes, aculeis plerisque fuscis. *Abdomen* nigrum, hac pictura pallida: utrinque, ad marginem dorsi anticum, maculam magnam inæqualiter rotundatam, deorsum in latera productam, sub-luteam ostendit; dimidium dorsi posticum plaga maxima ejusdem coloris occupatur, quæ utrinque antice late et profundissime incisa est, (sive antice repente angustata) angulis anticis ut linea inæqualis transversa et sub-ramosa in latera continuatis. Spatium nigrum inter maculas illas duas sat latum est, spatium inæquale inter eas et plagam posticam vero angustum. Pustulæ in partibus dorsi nigris nigræ sunt, in partibus pallidis pallidæ. Venter secundum medium cum area circum mamillas late sub-ferrugineo-luteus est, *mamillæ* sub-luteæ vel -testaceæ.

Lg. corp. $13^1/_4$ millim. Lg. et lat. cephaloth. $5^3/_4$, lat. front. circa $2^3/_4$; lg. abd. 8, lat. ej. 9 millim. Ped. I $16^1/_2$, II 17, III $9^1/_4$, IV $10^1/_2$ (pat. + tib. $3^3/_4$) millim. longi.

Exemplum singulum vidi, ad Tjadé (Atjeh) Sumatræ a D:re P. A. Klein captum et a Soc. Ent. Haun. mecum communicatum.

69. ***Phr. Ceylonica*** (Cambr.), *cephalothorace nigro-fusco, margine undique, cum lineis radiantibus partis thoracicæ utrinque tribus, flavo, area oculorum ad extremitates in tubercula bina elevata, exteriore horum tuberculorum, inter oculos binos laterales sito, altiori; sterno ad maximam partem flaventi, postice nigro; mandibulis flaventibus, palpis fusco-testaceis, paullo nigro-annulatis; pedibus luteo- vel fusco-testaceis, tibiis anterioribus fortiter sursum curvatis apice latissime nigris, metatarsis anterioribus nigris, basi (et versus apicem subter) flavis, tarsis anterioribus nigricantibus, basi flavis; abdomine paullo longiore quam latiore, postice late truncato et directo, sub-triangulo, apice truncato anteriora versus directo, angulis baseos oblique truncatis: ad colorem superius fusco-nigro, linea media longitudinali tenui pallida anterius in dorso notato et pustulis nitidis rotundatis fuscis ad magnitudinem valde inæqualibus præsertim posterius sparso, quarum nonnullæ elevationibus rotundatis quaternis, utrumque angulum posticum abdominis occupantibus et linea flaventi circumdatis impositæ sunt, ventre flavo, secundum medium nigricanti et utrinque posterius macula sat magna nigra notato. — ♀ ad. Long. circa $8^3/_4$ millim.*

Syn.: 1884. *Ornithoscatoides ceylonica*, CAMBR., On two new Genera of Spid., *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1884, p. 201 (7), Pl. XV, fig. 3.

D:r KLEIN feminam hujus speciei ad Tjadéh (in Atjeh) Sumatræ cepit; Cel. CAMBRIDGE exempla sua ex ins. Taprobane (Ceylon) obtinuit. Etiam in Borneo est inventa.

Gen. **Boliscus** [1], N.

Cephalothorax æque circiter latus ac longus, altissimus, a declivitate postica magna et prærupta anteriora versus usque ad oculos anticos admodum proclivis, clypeo etiam magis prærupte proclivi (non directo tamen), spatium inter oculos medios anticos et posticos altitudine vix vel non æquanti.

Oculi parvi; laterales, præsertim antici, mediis (quorum præsertim postici minuti sunt) tamen non parum majores. Area oculorum sat magna, circa triplo latior quam longior. Series oculorum postica non parum longior quam antica, modo leviter recurva; series antica fortius (modice) recurva est, a fronte visa modice sursum curvata quoque. Area oculorum mediorum latior est postice quam antice, et saltem æque lata ac longa. Oculi medii antici saltem æque longe a lateralibus anticis atque inter se remoti sunt, medii postici contra longius inter se quam a lateralibus posticis. Spatium, quo oculi bini laterales sunt separati, minus est quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant.

Sternum sub-ovatum, sed antice sat late truncatum, apice postico brevius acuminato non inter coxas 4i paris producto.

Mandibulæ oblique anteriora versus et deorsum directæ.

Maxillæ, in labium inclinatæ et paullo incurvæ, labio vix dimidio longiores sunt, saltem duplo longiores quam latiores, latere exteriore (cum apice) ante palpum rotundato; labium magnum, paullo longius quam latius, saltem a medio ad apicem sensim satis angustatum.

Pedes brevissimi, obtusi, aculeis carentes; tibiæ patellâ vix vel parum longiores sunt, metatarsi tarso modo paullo longiores.

Abdomen latum et crassum, tuberculis inæquale; mamillæ longe ante marginem ejus posticum sitæ.

Typus: *B. segnis*, N.

Holopilo, SIM. [2], hoc genus affine est, clypeo non directo sed prærupte proclivi, serie oculorum antica fortius quam postica recurva, oculis mediis anticis longius inter se quam a lateralibus anticis remotis, metatarsis tarsos longitudine saltem æquantibus, cet., differens.

70. ***B. segnis***, N., *cephalothorace sub-ferrugineo, paullo albicanti-variato, limbo laterali saltem postice nigro, et* V *nigro postice in dorso notato; pedibus cinerascentibus vel ferrugineis, nigro-sub-annulatis, femoribus basi late nigris; abdomine ferrugineo-cinerascenti, paullo nigro-variato, transverso, postice in medio superius late et sat profunde excavato et hic utrinque in tuber vel tubera duo elevato, his tuberis (ut abdomine præterea plus minus) tuberculatis, declivitate postica maxima pustulis minutis nigris in series longitudinales ordinatis conspersa.* — ♀ *jun. Long. saltem* $3^1/_2$ *millim.*

[1] βῶλος, gleba, massa (propter similitudinem quandam cum glebula sive massula terræ).

[2] Espèces et genres nouv. de la fam. d. Thomisidæ, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, XL, p. (9).

Femina *jun.* — *Cephalothoraxæ*, patellam + tibiam + metatarsum + tarsum 4^{i} paris longitudine circiter æquans, æque longus ac latus est, posterius altissimus, quasi inflatus, lateribus in medio sub-reclinatis; anteriora versus lateribus leviter rotundatis sensim paullo angustatus et utrinque antice paullo sinuatus est, posteriora versus breviore spatio lateribus leviter rotundatis sensim angustatus, in medio postice emarginatus, antice sat leviter rotundatus; impressionibus cephalicis et sulco ordinario centrali caret, paullo granulosus et coriaceus, pæne glaber. A latere visus cephalothoraci *Scytodis* sat similis est, excepto quod declivitas ejus postica lata et plana est et non reclinata sed prærupte declivis, dorso ante eam sensim proclivi et paullo convexo. Clypeus proclivis, $^{2}/_{3}$ latitudinis maximæ cephalothoracis latitudine circiter æquans, transversim convexus, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos pæne æquans. Area *oculorum* mediorum evidenter latior est postice quam antice; oculi medii antici paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt, medii postici pæne dimidio longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Spatium inter oculos binos laterales, qui suo quisque tuberculo humili impositi sunt, oculi lateralis antici diametro multo, fere duplo, est majus. *Sternum* planum, parce pilosum; spatium inter coxas 1^{i} paris eorum diametro evidenter minus est.

Mandibulæ sub-conicæ, femora antica latitudine saltem æquantes, pæne dimidio longiores quam latiores basi, dorso parum convexo et secundum marginem exteriorem sulcato. *Pedes* brevissimi et obtusi metatarsos tibiâ non multo breviores habent, tarsos metatarso modo paullulo breviores; subter parce et breviter pilosi et pubescentes sunt, præsertim in coxis et tarsis, aculeis plane carentes. *Abdomen* transversum, crassissimum; a declivitate antica magna et lævi posteriora versus lateribus leviter rotundatis ad fere $^{2}/_{3}$ longitudinis sensim dilatatum est, tum sensim paullo angustatum, in medio postice late et sat profunde excavatum, utrinque apud hanc excavationem in tuber elevatum, quod impressione transversa in duo tubera, superius et inferius, divisum est, his tuberis in tubercula pauca minora elevatis; etiam sub iis, ut utrinque fere in medio longitudinis dorsi, tubercula 2—3 ejusmodi adsunt, et præsertim prope marginem anticum tubercula etiam minora inæqualia sat multa conspiciuntur. Ab excavatione illa dorsum reclinatum et convexum ad mamillas descendit, quæ ita longe ante marginem dorsi posticum locatæ evadunt; in hac area magna declivitatis posticæ pustulæ multæ minutæ in series longitudinales ordinatæ conspiciuntur. *Mamillæ* breves.

Color. — *Cephalothoraxæ* sub-ferrugineus, paullo albicanti-variatus, secundum medium (præsertim in declivitate postica) late paullo pallidior, limbo laterali saltem posterius nigro; postice, supra declivitatem posticam, V fusco notatum est, et inter oculos medios posticos alio V parvo et angustissimo fusco (sive lineola geminata fusca) notatus. *Sternum* et *labium* ferruginea, illud posterius nigro-marginatum. *Mandibulæ* ferrugineo-testaceæ, paullo ferrugineo-variatæ. *Maxillæ* pallide ferrugineæ, apice et extus pallidiores. *Palpi* et *pedes* pallide ferruginei vel cinerascentes, paullo albicanti-variati; femora basi late nigra sunt, internodia sequentia minus evidenter nigro-annulata. *Abdomen* ferrugineo-cinerascens est, declivitate antica pallide cinerea: supra in medio, ad ipsum marginem anticum, striolas vel maculas duas inæquales fuscas anteriora versus appropinquantes ostendit, et postice in dorso duas maculas vel lineolas longiores inæquales nigras, foras curvatas et anteriora versus appropinquantes, quæ a vicinitate tuberorum ad pustulas duas parvas nigras poste-

rius in medio dorso sitas ductæ sunt. Latera abdominis inferius fasciam latam inæqualem nigram ostendunt, quæ sursum, usque ad tubera illa, continuatur. Pustulæ minutæ abdominis nigræ sunt, venter quoque in medio nigricans videtur. *Mamillæ* sub-fusco-cinerascentes.

♀ *jun.* — Lg. corp. $3^1/_2$; lg. et lat. cephaloth. paullo plus $1^1/_2$, alt. ej. pæne $1^1/_2$, lat. clyp. 1; lg. abd. $2^1/_2$, lat. ej. $2^3/_4$, alt. ej. circa $2^1/_2$ millim. Ped. I et II circa $2^3/_4$, III circa 2, IV circa $2^1/_6$ millim. longi; pat. + tib. IV parum plus 1 millim.

Exemplum supra descriptum in ins. Singapore a Cel. WORKMAN captum est. Adulta haud dubie non parum major evadit hæc aranea.

Trib. SALTIGRADÆ.

Fam. **Salticoidæ.**

Gen. **Harmochirus,** SIM., 1886.

71. ***H. Malaccensis,*** SIM., *cephalothorace piceo, squamulis angustis aureis supra et in lateribus sparso et linea marginali alba e pube densa formata in lateribus cincto; abdomine nigro-piceo, squamulis angustis minus densis aureis munito, quæ arcum latum recurvum, abdomen antice cingentem, ut et maculam vel vittam obliquam in utroque latere ejus, et vittam vel lineam transversam abbreviatam sub-undulatam posterius in dorso formant; pedibus 1i paris non longis sed fortissimis, piceis, metatarsis et tarsis gracilibus, testaceis, trochanteribus modo paullo longioribus quam latioribus, femoribus et tibiis latissimis, compressis et fere ovatis, femoribus et patellis subter, tibiis et supra et subter fimbria pilorum nigrorum præditis, tibiis a latere visis circa dimidio longioribus quam latioribus; pedibus 2i paris testaceo-fuscis, pedibus posterioribus sub-testaceis, summo apice patellarum et tibiarum nigro. — ♀ ad. Long. circa $4^1/_2$ millim.*

Syn.: 1886. *Harmochirus malaccensis*, SIM., Matér. pour servir a la faune arachn. de l'Asie Mérid. III. Arachn. recueillis . . . dans la presqu'île de Malacca, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1865), p. (6).

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, multo longior quam tibia cum patella 4i paris, a fronte posteriora versus lateribus paullo concavatis usque ad oculos posticos (qui fere in medio longitudinis cephalothoracis, in marginibus superficiei superioris ejus, locum tenent et fortiter foras prominent) sensim paullo dilatatus, dein posteriora versus cito angustatus et prærupte declivis, hac declivitate postica recta, dorso ante eam transversim plano, ad longitudinem modo leviter convexo, paullo proclivi et vix longiore quam est declivitas postica. Latera cephalothoracis usque sub oculis posticis directa sunt leviterque rotundata; frons lata et levissime rotundata paullo angustior est quam cephalothorax in medio (loco, ubi latissimus est). Clypei altitudo non $^1/_6$ diametri oculorum mediorum anticorum æquat. Supra cephalothorax dense et sat crasse impresso-punctatus est squamulisque angustis sparsus. Quadrangulus *oculorum* saltem dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; circiter dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice, paullo latior (etiam antice) quam longior, postice ipso cephalothorace paullulo latior. Linea

recta marginem superiorem oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos non multo sub margine superiore secat. Oculi medii antici maximi, inter se contingentes, lateralibus anticis circa triplo majores et ab iis spatiis modo minutis separati. Oculi 2^{æ} seriei minuti non parum, fere dimidio, longius a lateralibus anticis quam a posticis oculis distant; oculi postici lateralibus anticis evidenter minores sunt et circa dimidio longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. Oculi tres utriusque lateris seriem leviter foras curvatam formant. *Sternum* coxis etiam anticis non parum latius; spatium inter coxas 1^{i} paris labii latitudinem saltem æquat.

Mandibulæ parvæ, directæ, parallelæ et sub-cylindratæ, altitudinem (reliquæ) faciei longitudine non æquantes, circa dimidio longiores quam latiores, coxis 1^{i} paris multo angustiores, in dorso pæne rectæ et pæne læves, pube sparsæ. *Palpi* sat breves; pars patellaris circa $^{1}/_{4}$ longior quam latior est, pars tibialis eâ paullulo longior paulloque latior, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, non parum longior quam latior; pars tarsalis parte priore paullulo latior basi est eaque non parum longior, saltem a medio ad apicem sensim angustata. *Pedes* breves et graciles, 1^{i} paris exceptis, qui sat breves quidem sed fortissimi sunt, metatarsis tarsisque tamen gracilibus; coxæ hujus paris crassæ modo paullo (circa $^{1}/_{4}$) longiores sunt quam latiores, trochanteres coxis non parum angustiores et circa dimidio breviores, paullo longiores quam latiores. Femora 1^{i} paris compressa et latissima sunt, a latere visa subter et præsertim supra arcuato-convexa, pæne duplo longiora quam latiora, angustius ovata fere; subter extus fascia densa angusta pilorum nigrorum densorum (»fimbria») sunt munita, quæ sat longa est sed non usque ad basin femoris pertinet. Patellæ hujus paris desuper visæ pæne duplo longiores quam latiores sunt, præsertim a latere visæ a basi ad apicem sensim paullo dilatatæ; tibiæ compressæ sunt, femoribus non multo breviores et ea latitudine saltem æquantes: a latere visæ apice patellæ duplo sunt latiores et circa dimidio longiores quam latiores, breviter ovatæ; supra et subter sat fortiter et æqualiter arcuato-convexæ sunt, subter etiam transversim convexæ, et hic utrinque serie aculeorum longorum 3 armatæ: secundum medium spatii lati inter has series fimbriam longam ostendunt, quæ in partem patellarem, subter, usque ad medium ejus, continuata est; etiam supra fimbriam ejusmodi ostendunt tibiæ 1^{i} paris, quæ tamen brevior est et e pilis brevioribus formata. Metatarsi hujus paris 2. 2. aculeos sat fortes subter habent; etiam in tibis et metatarsis 2^{i} paris 2. 2. aculeos video; præterea pedes vix aculeati sunt. *Abdomen* breviter et inverse ovatum, antice minus late truncatum et, in medio, sub-retusum, postice sub-acuminatum. *Vulva* non multo conspicua: ex duabus foveis parvis rotundatis constare videtur, quæ postice et in lateribus callo transverso humili antice bis emarginato limitatæ et separatæ videntur.

Color. — *Cephalothoraæ* piceus est, squamulis angustis flavis supra et in lateribus, et usque in declivitatem posticam, superius, conspersus; secundum ipsum marginem lateralem lineam tenuem albam e pube densa formatam ostendit; margo clypei quoque anguste albicanti-pubescens est, facies præterea squamulis magis testaceis sparsa, annulis angustis circum oculos testaceis vel sub-aureis quoque. *Sternum*, *labium* et *mandibulæ* picea, illud pilis pallidis sparsum; *maxillæ* paullo clariores. *Palpi* flavi, albo-pubescentes. *Pedes* 1^{i} paris sub-picei, aculeis et fimbriis nigris, metatarsis tamen et tarsis flavo-testaceis, pallido-pubescentibus; pedes 2^{i} paris testaceo-fusci sunt, pedes 4 posteriores flavo-testacei, summo

apice patellarum et tibiarum nigro. *Abdomen* in fundo nigro-piceum, squamulis angustis aureis et sub-cupreis præditum, quæ in nostris exemplis (ad partem detritis?) rariores sunt, hanc picturam formantes: antice, in declivitate antica, squamulis aureis sparsum est abdomen, ita ut dorsum ejus arcu basali lato aureo cinctum videatur; in utroque latere, supra, vittam brevem obliquam auream ostendit, et postice in dorso (plus duplo longius a basi quam ab apice) vittam transversam brevem sub-undulatam ejusdem coloris. Postice latera abdominis squamulis raris cupreo-aureis conspersa sunt. Venter piceus, pube densiore albo-cinerascenti præsertim secundum medium vestitus. *Mamillæ* sub-piceæ.

Lg. corp. $4^1/_2$; lg. cephaloth. $1^5/_6$, lat. ej. $1^1/_2$, lat. front. circa $1^1/_4$; lg. abd. $2^1/_6$, lat. ej. circa $1^2/_3$ millim. Ped. I saltem 3, II fere $2^3/_4$, III pæne 3, IV circa $3^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. III 1, pat. + tib. IV paullo plus 1, metat. + tars. IV pæne 1 millim.

Feminas duas Sumatranas, alteram (adultam) ad Sipoholon, alteram (juniorem) ad Kaju tanam a D:re Klein captas examinavi. *H. malaccensem*, Sim., ex peninsula Malacca, marem araneæ supra descriptæ credo.

Gen. **Homalattus**, White, 1841.

72. ***H. latidens*** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus latidens*, Dol., Tweede Bijdrage, *cet.*, loc. cit., p. 21, Tab. X, fig. 6.
1885. *Simætha atheneola*, Sim., Matér. pour servir à la faune Arachn. de l'Asie Mérid. III. Appendice, loc. cit., p. (19).

Exempla pauca adulta et juniora hujus speciei, quæ in Java sat vulgaris videtur et in Singapore quoque inventa est, in ins. Pinang cepit Cel. Workman. — Figura »*Saltici latidentis*», Dol., oculos posticos longe retro locatos ostendit; in descriptione »brevis et lata» dicitur hæc aranea, cephalothorace latiore quam longiore, humili, et mandibulis latis, brevibus et directis. Generis *Homalatti*, White, igitur sine ullo dubio est.

Gen. *Simætha*, Thor., præsertim cephalothorace alto et in dorso ipso (i. e. ante declivitatem posticam) ad longitudinem fortiter convexo, ut et area oculorum modo circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupanti, ab *Homalatto*, White, Thor., differt; *Pirithous* (*Eulabes*), Keys., contra fortasse non ab *Homalatto* est sejungendus: in *Homalatto* enim oculi postici interdum pone medium cephalothoracis locum tenent, interdum in medio, immo paullo ante medium ejus locati sunt. [1]

73. ***H. leucomelas***, n., *cephalothorace et abdomine nigris, colorem cupreum sentientibus, illo in area inter-oculari maculis 4 sat magnis albis in rectangulum transversum dispositis, et præterea macula ejusmodi ad utrumque angulum frontalem, ut et vitta deorsum directa alba in medio utriusque lateris, ornato; dorso abdominis maculis 4 albis (duabus humeralibus magnis duabusque minoribus pone medium sitis) et, utrinque, vitta transversa brevi alba a posterioribus harum macularum ad latera ducta notato; palpis gracillimis, parte patellari duplo longiore quam latiore; pedibus posterioribus testaceis, nigro-lineatis, pedibus 1i paris fortissimis, reliquos longitudine superantibus, piceis. — ♂ ad. Long. circa 6 millim.*

[1] In figura *Homalatti pustulosi*, White (Descr. of a new gen. of Arachn., with notes on two other Spec. of Spid., *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., XVIII, Pl. 2, figg. 6—6b), qui typus gen. *Homalatti* nimirum est habendus, oculi postici *non* pone medium cephalothoracis siti videntur.

Mas. — *Cephalothorax* parum longior est quam latior, æque circiter longus ac tibia cum patella 1ⁱ paris, vel ac patella + tibia + metatarsus 4ⁱ paris, ab oculis posticis anteriora versus lateribus rectis sensim parum dilatatus (saltem non angustatus), pone hos oculos lateribus pæne rectis sat fortiter angustatus; frons latissima æqualiter et sat leviter rotundata est, angulis rotundatis. Latera cephalothoracis in medio directa et convexa sunt, antice valde reclinata; longitudo declivitatis dorsi posticæ (non valde præruptæ) dimidiam longitudinem ipsius (i. e. reliqui) dorsi multo superat. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos vix ullum dicendum. Quadrangulus *oculorum* pæne dimidiam cephalothoracis longitudinem occupat, postice eo pæne dupla oculi postici diametro angustior; pæne dimidio latior est postice quam antice, et evidenter latior etiam antice quam longior. Oculi medii antici, spatio evidenti separati, lateralibus anticis circa triplo majores sunt et ab iis spatio remoti, quod oculi lateralis diametrum pæne æquat; linea recta margines superiores mediorum tangens laterales paullo supra centrum secat. Oculi 2ᵉ seriei minuti saltem triplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant, spatio horum oculorum diametrum parum superanti ab iis disjuncti; oculi postici, lateralibus anticis paullulo minores et plus diametro sua altius quam ii positi, circa duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt.

Mandibulæ directæ sunt, usque a basi divaricantes, latæ et oblique compressæ; a latere interiore-superiore sub-plano et paullo ruguloso visæ vix dimidio longiores sunt quam latiores, tibias anticas latitudine et longitudine fere æquantes. Margo superior-exterior mandibulæ in medio fortissime geniculato-convexus est, et in costam longitudinalem fortem elevatus, latus inferius-interius pæne rectum, versus apicem paullo concavatum: in margine anteriore sive interiore hujus lateris (sub-excavati), inter medium et basin, dente sat parvo armata est mandibula. Unguis mandibulam longitudine æquat, sat fortis, in medio leviter sinuatus, apice modice incurvus. *Palpi* sat breves, gracillimi, parte tibiali apicem, clava basin metatarsi 1ⁱ paris latitudine circiter æquanti. Pars patellaris duplo longior quam latior; pars tibialis, eâ paullo brevior et, basi, paullo angustior, a basi ad apicem oblique truncatum sensim paullo incrassata est, et non parum longior quam latior apice. Pars tarsalis partem patellarem longitudine æquat, eâ non multo (vix dimidio) latior, angustius ovata, apice valde obtusa. Bulbus humillimus, simplicissimus. *Pedes* sat breves et graciles, 1ⁱ paris exceptis, qui fortissimi sunt; coxæ hujus paris magnæ pæne dimidio longiores quam latiores sunt, sternum inverse ovatum latitudine antice saltem æquantes; trochanteres coxis non parum breviores et angustiores, vix dimidio longiores quam latiores. Femora 1ⁱ paris compressa et valde lata sunt, a latere visa pæne duplo longiora quam latiora, subter leviter, supra fortissime arcuato-convexa. Patellæ hujus paris desuper visæ cylindratæ sunt et duplo longiores quam latiores, tibiæ a latere visæ apice patellæ latiores, anguste ovatæ fere, subter fortius, supra leviter ad longitudinem convexæ: desuper visæ hæ tibiæ patellâ paullulo longiores et parum angustiores sunt, lateribus levissime rotundatis apicem versus sensim parum angustatæ, circa duplo et dimidio longiores quam latiores; subter pilis longioribus sat densis vestitæ sunt. Metatarsi 1ⁱ paris tibiâ paullo breviores eâque fere duplo angustiores, a basi ad apicem sensim paullo angustati, tarso non parum (sed non dimidio) longiores; subter aculeis fortibus 2. 2. armati sunt Tibiæ 1ⁱ paris quoque subter, extus, 1. 1. aculeos fortes appressos habent; ad apicem

femorum 2^{i} paris, superius, 2—3 aculeos minores video, unumque ibidem in femoribus 4^{i} paris. *Abdomen* breviter ellipticum, non dimidio longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* et *abdomen* in fundo nigra, pube tenui sub-cuprea non densa superius vestita et ita sub-cupreo-nigricantia, hac pictura e pube densa alba formata: cephalothorax maculis 4 sat magnis angulatis albis in area inter-oculari ornatus est, quarum duæ anteriores, paullo pone oculos laterales anticos sitæ et oculis seriei 2^{æ} intus adjacentes, cum sua quæque alia macula ejusmodi, angulum anteriorem cephalothoracis supra occupanti, extus (inter oculum lateralem anticum et oculum 2^{æ} seriei) coalitæ sunt; maculæ duæ posteriores, cum anterioribus illis rectangulum paullo latius quam longius formantes, inter oculos duos seriei 3^{iæ}, paullo magis postice, locum tenent, multo longius inter se quam ab his oculis remotæ. In utroque latere cephalothorax vittam directam albam a vicinitate oculi 3^{iæ} serici ad marginem lateralem anguste album ductam ostendit; declivitas postica nigra utrinque albicanti-limbata maculam mediam oblongam albam superius habet. Facies pallide rufescenti-pilosa est: clypeus in medio marginis macula alba est notatus. *Abdomen* quoque maculas 4 albas pæne in rectangulum paullo longius quam latius dispositas supra ostendit: duæ anteriores sat magnæ sunt, humeros occupantes, duæ posteriores minores paullo magis intus et non parum pone medium dorsi positæ sunt: ab utraque earum linea brevis crassa alba foras et paullo retro ad latera abdominis est ducta. Venter (ut sternum) niger, albicanti-pubescens. *Partes oris* nigræ, mandibulæ in cyaneum colorem exeuntes. *Palpi* picei, parte tibiali supra magis extus oblique et dense albo-pubescenti, præterea minus dense nigro-pilosi et -pubescentes. *Pedes* 1^{i} paris nigro-picei, tenuiter sub-cupreo-squamulosi, metatarsis et tarsis versus basin clarioribus; patellæ intus maculam albam habent et femora apice intus paullo albo-pubescentia sunt; præterea hi pedes ad maximam partem nigro-pilosi et -pubescentes sunt. Pedes posteriores fusco-testacei, femoribus ad magnam partem sub-piceis et tenuiter albo-pubescentibus; internodia insequentia, tarsis exceptis, ad longitudinem paullo nigro-lineata et apice (utrinque) plus minus evidenter nigra sunt.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. circa $2^{3}/_{4}$, lat. ej. pæne $2^{1}/_{2}$, lat. front. circa $2^{1}/_{3}$; lg. abd. pæne 3, lat. ej. $2^{1}/_{3}$ millim. Ped. I $5^{1}/_{2}$, II $4^{1}/_{2}$, III paullo plus $3^{1}/_{2}$, IV $4^{2}/_{3}$ millim. longi; pat. + tib. IV $1^{3}/_{4}$ millim.

Mas, quem singulum hujus speciei vidi, in ins. Philippinis, ad Manilam, captus est (G.). *Rhanis albigera*, C. L. Koch [1], sive *Homalattus albiger*, ex ins. Bintang, ei quidem ad colorem simillimus est; sed forma macularum albarum, præsertim macularum posteriorum abdominis, in *H. albigero* alia est; palpi, saltem secundum figuram Kochii, in *H. albigero*, ♂, multo fortiores sunt quam in nostra aranea, partibus patellari et tibiali brevioribus vel saltem non multo longioribus quam latioribus.

74. ***H. albo-striatus***, n., *cephalothorace in fundo nigro-piceo, pube tenui olivaceo-fusca et alba supra munito, fascia alba angustiore ab oculo laterali antico sub oculo 2^{æ} seriei retro ducta utrinque notato et saltem fascia vel linea sub-marginali alba præterea in lateribus cincto; abdomine piceo, in et ad marginem anticum albo-pubescenti, pone hunc marginem, magis intus, striis duabus albis anteriora versus divaricantibus signato, a quibus linea transversa alba ad latera abdominis ducta est, tum, pone medium, lineis duabus longis*

[1] Die Arachn., XIV, p. 87, Tab. CCCCLXXX, fig. 1344.

transversis albis in medio abruptis notato; mandibulis parallelis, rufescentibus, vitta transversa lata sub-obliqua alba prope basin ornatis; palpis sat gracilibus, sub-luteis, parte femorali supra pube alba vestita, parte patellari paullo longiore quam latiore, parte tibiali transversa; pedibus 1ⁱ paris fortibus, piceis, patella, metatarsis tarsisque clarioribus, reliquis pedibus sub-testaceis, nigro-sub-annulatis. — ♂ ad. Long. circa 5 millim.

Mas. — *Cephalothorax* parum longior est quam latior, parum brevior quam patella + tibia + metatarsus 1ⁱ paris, et circiter æque longus ac patella + tibia + metatarsus 4ⁱ paris, ab oculis posticis, qui paullulo pone medium ejus locum tenent (quo loco fortiter rotundatus est), lateribus sat leviter rotundatis anteriora versus sensim usque ad oculos laterales anticos non parum angustatus, pone oculos illos lateribus parum rotundatis posteriora versus sensim fortiter angustatus; frontis leviter rotundatæ latitudo circiter $^2/_3$ latitudinis maximæ cephalothoracis æquat. Altior est cephalothorax; declivitas postica satis prærupta et recta reliquo dorso modo paullo brevior est. Latera cephalothoracis inter medium et clypeum pæne recta et modo paullo reclinata sunt; clypeus humillimus. Quadrangulus *oculorum* paullo plus dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat, postice eo vix angustior; multo latior est postice quam antice, et non parum latior postice quam longior, sed evidentissime longior quam latior antice. Oculi medii antici, spatio evidenti separati, lateralibus anticis circa triplo majores sunt et ab iis spatio parvo ($^1/_4$ diametri oculi lateralis vix æquanti) sejuncti; linea recta oculos medios supra tangens laterales paullo sub margine superiore secat. Oculi 2ᵉ seriei spatio circa triplo majore a posticis oculis sunt remoti, quam quo a lateralibus anticis distant: spatium inter eos et laterales anticos horum diametro evidentissime majus est. Oculi postici, lateralibus anticis parum minores, plus diametro sua altius quam ii positi sunt et pæne duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. *Sternum* coxas anticas latitudine non æquat, reliquis coxis latius; spatium inter coxas 1ⁱ paris labii latitudinem pæne æquat.

Mandibulæ deorsum et paullo anteriora versus directæ, non divaricantes, circa dimidio longiores quam latiores, tibias anticas latitudine fere æquantes, paullo oblique deplanatæ, et transversim et ad longitudinem parum convexæ, lateribus pæne rectis et parallelis, apice intus late et oblique truncatæ, in dorso versus basin densissime pubescentes, præterea glabræ, transversim striatæ, nitidæ; sulcus unguicularis antice 2 dentibus armatus est, postice quoque 2 dentes habere videtur (?). Unguis mandibulà multo brevior, sat fortis, æqualiter curvatus. *Palpi* mediocri longitudine, sat graciles; clava apice tibiæ 1ⁱ paris paullo angustior est. Pars patellaris modo paullo longior quam latior, pars tibialis eà non latior et multo, pæne duplo, brevior, unco sat forti acuminato deorsum curvato ad apicem lateris exterioris armata. Pars tarsalis duabus prioribus conjunctis non parum longior est, et iis non parum (vix dimidio tamen) latior, fere duplo longior quam latior, sub-elliptica, apice late rotundato. *Pedes* longitudine mediocri, 1ⁱ paris robusti, reliqui sat graciles. In pedibus 1ⁱ paris coxæ circa dimidio longiores quam latiores sunt, trochanteres non parum latiores quam longiores, femora compressa et lata, a latere visa supra fortissime arcuato-convexa et fere duplo longiora quam latiora; patellæ desuper visæ cylindratæ et duplo longiores quam latiores sunt. Tibiæ eodem modo visæ patellas longitudine æquant, iis versus basin vix angustiores sed latere exteriore levissime rotundato

apicem versus sensim paullulo angustatæ; a latere visæ paullo crassiores sunt, subter ad longitudinem sat leviter convexæ et pilis longioribus densis nigris vestitæ. Metatarsus cum tarso ejusdem paris tibiâ paullulo longior est; metatarsus tibiâ circa duplo angustior, a basi ad apicem sensim angustatus, tarso circa $^1/_4$ longior. Femora 1^i paris supra ad longitudinem longius pilosa sunt et saltem versus apicem 2—3 aculeis munita; tibiæ hujus paris aculeis fortibus 1. 1. intus, subter, armatæ sunt, metatarsi vero subter 2. 2. aculeos fortes habent. Etiam pedes insequentes aculeati sunt: femora, e. gr., superius aculeis 5—6 gracilibus armata videntur. *Abdomen* sub-ovatum, posteriora versus angustatum et sub-acuminatum.

Color. — *Cephalothoraxæ* in fundo nigro-piceus est; pube tenui olivaceo-ferruginea supra, posterius, vestitus fuisse videtur, et anterius vestigia pubescentiæ albæ hic illic ostendit (ita in exemplo nostro satis detrito); in lateribus, supra, fascia longitudinali sat angusta alba est notatus, quæ ab oculis lateralibus anticis retro sub oculis posterioribus ducta est, oculum seriei 3^{iæ} etiam postice cingens; declivitas postica utrinque paullo albo-pilosa et macula parva alba media supra notata videtur. Latera cephalothoracis sub fascia illa alba ferrugineo-, et magis postice, infra, albo-pubescentia sunt; quæ pubes fasciam pæne marginalem anterius angustam albam format (hæ duæ fasciæ etiam in clypeum paullum continuantur); vestigia fasciæ longitudinalis abbreviatæ albæ in medio laterum, antice, præterea video. Pubescentia in vicinitate oculorum magis lutea est. *Mandibulæ* rufo-ferrugineæ, prope basin vitta transversa lata paullo obliqua alba e pube densissima formata ornatæ. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* nigricantia, pube albicanti sparsa. *Palpi* lutei, partibus femorali et patellari supra dense albo-pubescentibus, partibus tibiali et patellari magis ferrugineis, hac apice albicanti-pubescenti. *Pedes* 1^i paris picei, patellis ferrugineis, metatarsis tarsisque luteis; nigro-pilosi et -pubescentes sunt, in femoribus intus et in patellis superius albo-pubescentes quoque. Pedes posteriores sub-testacei sunt, ad maximam partem minus dense albo-pubescentes, femoribus ad magnam partem piceis, internodiis insequentibus apice plus minus evidenter infuscatis. *Abdomen* in fundo piceum est, hac pictura alba: margo dorsi anticus linea recurva sive arcu inæquali in medio abrupto albo cingitur; non multo pone eum, versus medium dorsi, strias vel lineolas duas anteriora versus divaricantes video (spatium inter eas et arcum illum una alterave macula alba notatum fuisse videtur quoque), quæ ad medium longitudinis dorsi postice pertinent; utrinque, fere a medio harum lineolarum, lineola alba transversa ad latera dorsi ducta est. Tum, fere in medio inter medium dorsi et anum, sequitur linea longa transversa sub-recurva et saltem in medio abrupta, et dein, in medio inter eam et anum, utrinque, lineola oblique retro et foras ducta: hæ lineolæ, ut linea illa transversa, usque in ventrem continuatæ sunt. In ipso apice dorsi punctum album adest. Latera abdominis et venter pone rimam genitalem, antice, pube albicanti vestita sunt, venter præterea, posterius, niger. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. pæne $2^1/_2$, lat. ej. pæne $2^1/_4$, lat. front. circa $1^2/_3$; lg. abd. 3, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I circa 5, II pæne 4, III $3^1/_4$, IV pæne $4^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV $1^2/_3$ millim.

Exemplum, quod unicum vidi, in ins. Terressa captum est (G.).

75. ***H. analis,*** THOR.

Syn.? 1882. *Homalattus hirsutus*, VAN HASS., Midden Sumatra, *cet.*, Arau., p. 53.
1887. » *analis*, THOR. [Viaggio di L. FEA, *cet.* II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 350.

Soc. Entom. Haun. duo exempla feminea *H. analis*, alterum adultum, alterum junius et detritum, in Sumatra (ad Tjadé in Atjeh) a D:re KLEIN capta mecum communicavit. Ad picturam dorsi abdominis ab exemplis Birmanis loc. cit. a me adumbratis paullo differt femina illa adulta, quam ob rem colorem abdominis ejus hic describam. In fundo abdomen nigrum est, pube crassa flava et albicanti-flava supra et in lateribus vestitum, et hac pictura nigra et alba ornatum. Fere in medio dorso puncta 4 impressa nigra trapezium postice latius formant: duo posteriora eorum in sua quodque macula parva nigra fere **U**-formi posita sunt, et paullo pone utramque harum macularum macula vel lineola brevis transversa alba conspicitur; ad apicem dorsi, paullulo supra mamillas, area sat parva nigra antice rotundata et hic linea recurva alba limitata, posteriora versus angustata adest: in medio utriusque lateris vitta obliqua sat lata nigra, antice albo-limbata conspicitur, quæ paullo ante maculas illas **U**-formes initium capit, deorsum et retro directa: in medio vero inter hanc vittam et anum lineam cum ea parallelam nigram eam quoque antice albo-limbatam ostendunt latera: hæ duæ lineæ cum maculis lineolisve illis duabus albis dorsi pone maculas nigras **U**-formes positis arcum longum ter abruptum pæne formant, qui cum limbo albo maculæ analis parallelus est. Venter secundum medium late nigricans est, et minus dense pallido-pubescens; utrinque apud (ante) mamillas lineolam longitudinalem brevem latam nigram video. Mamillæ piceæ, superiores supra nigræ. — Sulcus ungnicularis mandibularum postice dente singulo sat forti, antice intus dentibus duobus munitus est. Aculeos supra ad apicem femorum 1^{i} paris sitos in exemplo adulto non certo video: nescio an a pilis densis occulti sint. Tibiæ 6 posteriores apice inferius aculeos paucissimos ostendunt: 2^{i} paris præterea aculeo 1 versus apicem, 4^{i} paris 1 versus medium, subter, sunt munitæ; etiam metatarsi 6 posteriores apice inferius aculeati sunt, 2^{i} paris 1 aculeo versus apicem subter præterea instructi.

76. ***H. brevipes,*** N., *nigro-piceus, cephalothorace humillimo, nigro-piloso et paullo aureo- vel cupreo-squamuloso, abdomine circa duplo longiore quam latiore, supra et in lateribus squamulis tenuibus aureis vel sub-cupreis munito; linea oculos anticos supra tangenti non sursum, sed paullulo deorsum curvata; oculis 2^{ae} seriei circa duplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; palpis piceis, paullo sub-cupreo-squamulosis; pedibus brevissimis, 1^{i} paris robustis et piceis, sub-cupreo-squamulosis, subter in tibiis 3 + 2 aculeis, subter in metatarsis 2. 2. aculeis longissimis armatis, pedibus posterioribus subtestaceis, plus minus nigro-annulatis. — ♀ ad. Long. circa $3^{2}/_{3}$ millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo longior est quam latior; patellam + tibiam + metatarsum 1^{i} paris longitudine æquat, saltem æque longus ac patella + tibia + metatarsus + tarsus 4^{i} paris; ante declivitatem posticam, quæ sat longe pone oculos posticos initium capit, sub-quadratus et planus est, lateribus usque ad oculos laterales anticos leviter rotundatis anteriora et posteriora versus paullulo angustatus, fronte modo levissime rotundata; præterea, postice, lateribus leviter concavatis posteriora versus sensim citissime est angustatus et in medio postice emarginatus. Humilis valde est, declivitate postica a latere visa modice declivi et reliquo dorso fere duplo breviore, facie et clypeo humillimis. Qua-

drangulus *oculorum* non dimidium sed modo circiter $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat, eo postice parum (vix vel non oculi singuli diametro) angustior; non multo (circa dupla oculi postici diametro) latior est postice quam antice, et circa dimidio latior postice quam longior. Series oculorum antica parum sursum est curvata: linea enim recta laterales horum oculorum supra tangens medios paullo sub margine superiore secat. Oculi medii antici pæne contingentes sunt inter se, a lateralibus spatio remoti, quod circiter $^1/_4$ horum diametri æquat. Oculi 2^{æ} seriei parum plus duplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, lateralibus anticis vix minores et diametro sua altius quam ii positi, circa duplo et dimidio longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum*, anguste et inverse ovatum fere, coxis 1^i paris parum latius est; spatium inter has coxas labii latitudinem non æquat.

Mandibulæ anteriora versus et deorsum directæ, parum divaricantes, breves et latæ, tibiis anticis circa dimidio latiores, vix longiores quam latiores, in dorso deplanatæ, latere sive margine exteriore fortiter geniculato, apice late rotundato-truncato; sulcus unguicularis postice dentibus 2 fortibus et tuberculo inter eos, antice vero, intus, dentibus 2 armatus est. Unguis sat longus, æqualiter incurvus. *Palpi* breves, basi excepta deplanati et lati: pars femoralis gracilis et teres est, pars patellaris a basi ad apicem sensim paullo dilatata, et pæne dimidio longior quam latior; pars tibialis parte patellari vix longior est, apice ejus paullo latior, apicem versus vix vel parum dilatata, pæne $^1/_4$ longior quam latior; pars tarsalis eà non parum longior et paullulo latior est, circa dimidio longior quam latior et lateribus leviter rotundatis apicem obtusum versus sensim angustata. *Pedes* omnium brevissimi, 1^i paris robusti, reliqui sat graciles; pedes 1^i paris 4^i paris pedibus paullo longiores sunt, pedes 2^i paris pedibus 3^{ii} paris paullulo breviores mihi sunt visi. Coxæ 1^i paris circa $^1/_3$ longiores quam latiores sunt, trochanteres coxâ fere duplo breviores et multo angustiores, paullo latiores quam longiores; femora hujus paris compressa et valde lata sunt, a latere visa supra fortissime arcuato-convexa et vix duplo longiora quam latiora. Patellæ ejusdem paris desuper visæ pæne duplo longiores quam latiores sunt, apicem versus lateribus levissime rotundatis paullulo incrassatæ; tibiæ hoc modo visæ patellam longitudine æquant et cylindratæ sunt, et paullo plus duplo longiores quam latiores (a latere visæ cylindratæ quoque et fere duplo longiores quam latiores); metatarsi tibià circa dimidio angustiores sunt, a basi ad apicem sensim paullo angustati, fere duplo longiores quam latiores, tarso cylindrato non ita multo longiores. In pedibus 1^i paris femora aculeis carere videntur; tibiæ hujus paris vero subter 3 + 2 aculeos longos appressos habent; metatarsi ejusdem paris subter 2. 2. aculeos ejusmodi longissimos (longitudine triplam diametrum internodii circiter æquantes) et paullo sinuatos ostendunt. Tibiæ 1^i paris subter non densius quam reliqua internodia pilosæ sunt. Pedes sex posteriores aculeis carere videntur. *Abdomen* pæne duplo longius quam latius, inverse elliptico-ovatum fere, antice modo leviter rotundatum, postice sub-acuminatum. *Vulva* ex fovea parva transversa sub-elliptica constare videtur (?).

Color. — *Cephalothorax* niger est, supra pilis parvis sub-erectis non densis nigris sub-hirsutus et squamulis parvis sub-aureis conspersus (vestitus ?); in lateribus lineam sub-marginalem e pube albicanti formatam ostendit. *Sternum* et *partes oris* nigro-picea. *Palpi* nigro-picei, nigro-pilosi; ut pedes saltem 1^i paris præterea paullo aureo- vel cupreo-squamulosi sunt. *Pedes* 1^i paris nigro-picei et nigro-pilosi quoque, pilis sat brevibus pa-

tentibus non multo densis nigris sub-hirsuti. Pedes sex posteriores sordide testacei sunt (2^i paris apicem versus infuscati), coxis et trochanteribus magis piceis, femoribus saltem apice nigris, tibiis et metatarsis 4^i paris apice sat late nigris quoque, reliquis tibiis et metatarsis apice modo angustissime nigris. *Abdomen* in fundo nigro-piceum est; in nostro exemplo, ad maximam partem detrito, dorsum et latera ejus squamulis parvis aureis et sub-cupreis vestitum fuisse videntur, et dorsum antice (cum lateribus supra, anterius) vitta recurva pallidiore longe retro producta cinctum est. Venter niger, tenuiter cinerascenti-pubescens; *mamillæ* sub-piceæ.

Lg. corp. $3^2/_3$; lg. cephaloth. $2^1/_6$, lat. ej. pæne 2, lat. front. circa $1^3/_4$; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. $1^5/_6$ millim. Ped. I circa 4, II pæne $2^3/_4$, III $2^3/_4$, IV $3^4/_5$ millim. longi; pat. + tib. IV circa $1^1/_4$ millim.

Feminam singulam supra descriptam ad Edi Sumatræ cepit D:r Klein. Cephalothorace humillimo et abdomine fere duplo longiore quam latiore præsertim facile a sibi similibus internoscenda videtur hæc species.

Gen. **Zeuxippus,** [1] n.

Cephalothorax humilis, non vel parum longior quam latior, sub-orbiculatus, declivitate postica brevi, dimidium reliqui dorsi longitudine non vel parum superanti, clypeo sat alto.

Quadrangulus oculorum, qui solito minores sunt, multo latior est postice quam antice et multo latior saltem postice quam longior, dimidium longitudinis cephalothoracis vix vel non occupans, postice eo non parum angustior. Series oculorum anticorum, qui spatiis sat magnis sejuncti sunt, modo leviter sursum curvata. Oculi $2^{æ}$ seriei multo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distantes; oculi postici saltem duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti.

Sternum sat longum, antice angustum, coxis 1^i paris non latius; spatium inter has coxas labii latitudinem circiter æquat.

Mandibulæ breves, pæne directæ.

Maxillæ labio saltem dimidio longiores, apicem versus modice dilatatæ; labium longius quam latius.

Pedes sat breves, ita: I, IV, II, III (III, II ?) longitudine se excipientes, 1^i paris robusti et subter in tibiis et metatarsis aculeati, aculeis metatarsorum 2. 2. sat fortibus; pedes posteriores vix nisi in apice metatarsorum 4^i paris aculeati. Tibia cum patella 4^i paris longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris et paullulo longior quam metatarsus cum tarso 4^i paris.

Abdomen multo longius quam latius, sub-deplanatum; mamillæ sat longæ.

Typus: *Z. histrio*, n.

Gen. *Homalatto* hoc genus affine est, oculis præsertim posticis et lateralibus anticis solito minoribus, illis spatio diametro sua multo majore a margine cephalothoracis desuper visi remotis, clypeo sat alto, cet., a *Homalatto* differens; a *Pirithoo*, Keys., cui etiam

[1] Nom. propr. pers. mythol.

magis affinis forsitan est, oculis minoribus, serie oculorum anticorummodo leviter sursum curvata et mandibulis parallelis saltem differt *Zeuxippus*.

77. ***Z. histrio,*** N., *pæne totus pilis et pube albis vestitus et sub-hirsutus, cephalothorace in fundo rufo-ferrugineo; abdomine circa duplo longiore quam latiore, posteriora versus angustato-acuminato, in fundo supra ferrugineo, linea nigra utrinque limitato et maculis liturisque seriatis piceis, quarum duæ litteram* **U** *vel* **V** *posterius in dorso, utrinque, formant, ut et vitta transversa vel area parva geminata picea supra-anali ornato; pedibus anticis robustis et piceis, reliquis testaceis et nigro-annulatis; oculis 2æ seriei plus 4.plo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis. — ♂ ad. Long. circa 5 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* æque fere latus et longus est, patellam + tibiam 1i paris longitudine saltem æquans, et æque circiter longus ac patella + tibia + metatarsus 4i paris, desuper visus pæne circulatus, lateribus a declivitate postica brevi usque ad oculos laterales anterius et posterius fortiter (in medio leviter) rotundatis et in frontem rotundatam sine limite transeuntibus, postice lateribus leviter rotundatis sensim cito angustatus; inter oculos posticos et declivitatem posticam impressionem valde magnam sed levem ostendit, præterea ante declivitatem illam transversim planus. A latere visus humilis est, ante declivitatem posticam (quæ longe pone oculos posticos initium capiens modice declivis et recta est et dimidium reliqui dorsi longitudine circiter æquat) libratus et leviter et æqualiter convexus, facie humili et directa, oculis mediis anticis tamen spatio dimidiam eorum diametrum saltem æquanti a margine clypei remotis. Quadrangulus *oculorum* parvorum, quorum medii antici non multo prominent, pæne dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat; multo, fere dimidio, latior est postice quam antice et paullo longior quam latior antice, postice non parum, saltem quadrupla (dupla utrinque) oculi postici diametro angustior quam cephalothorax eodem loco. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos non parum sub margine superiore secat; medii antici spatio solito majore (circa $^1/_3$ diametri horum oculorum æquanti) separati sunt; a lateralibus anticis, quibus fere quadruplo sunt majores, spatio etiam paullo majore, oculi lateralis diametrum fere æquanti, sejuncti sunt. Oculi minuti 2æ seriei plus quadruplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant, ab his oculis spatio parvo, diametrum oculi lateralis vix superanti, remoti. Oculi postici parvi oculis lateralibus anticis vix vel parum minores sunt; parum longius ab oculis 2æ seriei quam a declivitate postica locum tenent.

Mandibulæ directæ, breves, vix dimidio longiores quam latiores, tibias anticas latitudine fere æquantes, deplanatæ, in latere exteriore versus basin geniculato-convexæ, apice late et oblique truncatæ. Sulcus unguicularis in margine postico dentem singulum habet; angulus interior marginis anterioris (certo modo saltem visus) dentem sat fortem formare videtur; præterea dentibus caret sulcus unguicularis; unguis fortis, sat longus. *Palpi* mediocres, clava apicem metatarsi 1i paris vix latitudine æquanti; pars patellaris æque lata et longa est, pars tibialis etiam brevior et paullo latior; pars tarsalis duas priores conjunctim longitudine saltem æquat, iis paullo latior, vix duplo longior quam latior, apice obtusissima. Bulbus mediocris, basi rotundata et paullo incrassata retro producta. *Pedes* sat breves, ita: I, IV, II, III (vel I, IV, III, II ?) longitudine se excipientes; pedes 1i paris robusti sunt, reliqui non ita graciles. Coxæ 1i paris non parum longiores quam latiores sunt, trochanteres iis multo breviores; femora compressa sunt et supra ad longitudinem

fortiter arcuato-convexa, a latere visa duplo longiora quam latiora; patellæ et tibiæ desuper visæ eadem longitudine et pæne eadem crassitie sunt, duplo et dimidio longiores quam latiores, illæ subter paullo longius pilosæ; metatarsi cum tarso tibiam longitudine æquant; metatarsi fortes sunt, a basi ad apicem sensim angustati, tarso circa dimidio longiores. Tibiæ hujus paris subter, extus, 1. 1. aculeos, metatarsi vero subter 2. 2. aculeos habent; qui aculei omnes sat fortes et breves sunt. In pedibus 2^i paris metatarsi subter in apice et versus eum aculeos paucos mediocres habent: eodem loco subter in metatarsis 4^i paris aculeos paucos gracillimos video quoque; præterea pedes aculeis carere videntur. *Abdomen* satis deplanatum, saltem duplo longius quam latius, sub-lanceolatum, antice rotundato-truncatum, lateribus anterius leviter rotundatis, præterea pæne rectis posteriora versus sensim angustatum et sub-acuminatum. *Mamillæ* sat longæ, superiores præsertim, quarum art. 2^s æque fere latus ac longus est.

Color fundi, præsertim cephalothoracis, minus bene cernitur, quum pæne totum corpus pilis albis et pube crassa alba sat dense vestitum et sub-hirsutum sit. *Cephalothorax* in fundo rufo-ferrugineus est, fascia frontali plus minus evidenti nigra, quæ oculos sex anteriores conjungit, summoque margine laterali nigro; undique albo-pubescens et -pilosus est, pilis in margine anteriore dorsi longioribus, clypeo quoque pilis longioribus albis vestito. *Sternum*, *labium* et *maxillæ* picea sunt, hæ apice pallidæ. *Mandibulæ* nigræ, apice late ferrugineæ, vitta transversa sat angusta alba e pube densa formata prope basin ornatæ et vestigiis alius ejusmodi fasciæ magis versus apicem munitæ. *Palpi* ferruginei, paullo nigro-annulati, pilis albis supra vestiti, parte tarsali apice pube densa obscura tecta. *Pedes* 1^i paris ferrugineo-picei sunt, subter ad magnam partem nigri, metatarsis et tarsis nigris, femoribus intus nigris et glabris; præterea, præsertim supra, dense albo-pubescentes et -pilosi sunt hi pedes. Pedes posteriores testacei, albo-pubescentes, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis apice plus minus late nigris vel nigro-maculatis et -striatis, femoribus 2^i paris interdum ad magnam partem nigris. *Abdomen* in fundo supra ferrugineum est, dorso maculis parvis inæqualibus piceis notato, quæ ad partem in series duas magis laterales fere ad $^2/_3$ longitudinis dorsi pertinentes ordinatæ sunt: harum macularum posteriores duæ (utrinque) majores sunt et saltem interdum formam litteræ **U** vel **V** fere habent; prope apicem dorsum vittam aut transversam piceam ostendit, aut area picea occupatus est hic apex quæ vittæ transversæ pallidiore geminata est et antice plus minus evidenter albo-limbata. In lateribus dorsum linea nigra usque ad hanc aream pertinenti cinctum est. Inferius latera abdominis alba sunt; venter secundum medium late niger. Præsertim supra et in lateribus densius albo-pilosum et -pubescens est abdomen (hac pubescentia posterius in dorso quasi lineas 2—3 transversas bis procurvas albas interdum formanti), ita tamen, ut pictura picea (præsertim area apicalis) dorsi plus minus glabra remaneat et ita visibilis sit. *Mamillæ* piceæ, albo-pubescentes.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. circa $2^1/_3$, lat. ej. $2^1/_3$, lat. front. saltem $1^1/_2$; lg. abd. $3^1/_2$, lat. ej. $1^5/_6$ millim. Ped. I $4^1/_4$, II circa $3^1/_4$, III saltem $2^1/_2$, IV circa $3^3/_4$ (pat. + tib. $1^1/_3$) millim. longi videntur.

Mares duos lepidæ hujus speciei, in India ad Vellore (Madras) captos et Dom. Lövendal signatos, mecum communicavit Mus. Zool. Hauniense.

Gen. **Dexippus,**[1] N.

Cephalothorax plus dimidio longior quam latior, in lateribus leviter rotundatus, non parum latior quam altior, dorso ante declivitatem posticam brevem et satis præruptam sat leviter convexo, altitudine clypei dimidiam diametrum oculi medii antici circiter æquanti.

Oculi mediocres; series anticorum oculorum modo leviter recurva est, oculi medii antici prominentes et contingentes inter se et spatio minuto a lateralibus anticis, qui angulos frontis occupant, separati. Quadrangulus oculorum non multum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat: æque latus est antice et postice, vel saltem non angustior postice quam antice; postice non parum angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi minuti $2^{æ}$ seriei in medio inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent, vel paullo longior ab illis quam ab his remoti sunt. Oculi postici spatio non vel parum minore inter se quam a margine cephalothoracis sunt remoti.

Sternum coxas anticas latitudine æquat; spatium inter has coxas labii latitudinem fere æquat.

Mandibulæ directæ, parallelæ.

Maxillæ labio plus dimidio longiores; labium non parum longius quam latius, lateribus parallelis, apice rotundato.

Pedes saltem in ♂ ita: I, IV, III, II longitudine se excipiunt; modice longi sunt, 1^i paris præsertim robusti, 4 posteriores mediocri crassitie. Tibia cum patella 4^i paris longior est quam metatarsus cum tarso hujus paris et paullo longior quam tibia cum patella 3^{ii} paris: tibia 4^i paris cylindrata est et patellam ejusdem paris crassitie æquat, evidenter paullo longior quam tibia 3^{ii} paris, sed eà vix angustior. Patella 4^i paris non longior quam patella 3^{ii} paris est sed eà angustior. Sat crebre et fortiter aculeati sunt pedes, patellis posterioribus aculeo utrinque armatis, metatarsis posticis non tantum ad apicem, verum etiam saltem versus basin aculeatis.

Abdomen longius; mamillæ sat longæ, præsertim superiores.

Typus: *D. Kleinii*, N.

Typus hujus generis ad *Marptusam*, THOR., referri posset, ut gen. *Marptusa* primum a me limitatum fuit; sed ab hoc genere et ab *Acompse* (L. KOCH) SIM. (= *Thiania* (C. L. KOCH) THOR.) et a *Bavia*, SIM., ut hæc genera definivit Cel. SIMON, multis rebus, e. gr. cephalothorace multo angustiore, clypeo altiore, armatura alia pedum, cet., differt *Dexippus*. A *Tapinatto*, THOR., corpore multo angustiore, clypeo alto, pedibus 1^i paris reliquis multo robustioribus, cet., facile internosci potest hoc novum genus.

78. ***D. Kleinii,*** N., *cephalothorace in fundo nigricanti vel testaceo-fusco, supra in declivitate postica et in lateribus vitta procurva sat lata e pube albicanti-cinerea formata et extremitatibus usque ad oculos laterales anticos pertinenti cincto; pedibus 1^i paris ad maximam partem piceis, dense nigro- et albicanti-pilosis, pedibus posterioribus sub-testaceis, nigro-annulatis -fasciatisve; abdomine albicanti, fasciis duabus nigris sub-luteo-marginatis a basi dorsi ad apicem ejus ductis ornato, ventre nigro. — ♂ ad. Long. circa 7 millim.*

---

[1] Δέξιππος, nom. propr. pers.

Mas. — Ad notas, quas in diagnosi generis dedi, hæ addendæ sunt. *Cephalothorax* patellam + tibiam + $^1/_4$ metatarsi 1^i paris, et patellam + tibiam + metatarsum 4^i paris longitudine æquat, non parum plus dimidio longior quam latior et circa dimidio latior quam altior: posteriora versus fortius quam anteriora versus rotundato-angustatus est, postice leviter emarginatus; frons leviter rotundata latitudine saltem $^3/_4$ latitudinis maximæ cephalothoracis æquat. Declivitas cephalothoracis postica reliquo dorso saltem duplo brevior est; clypei altitudo dimidiam diametrum oculi medii antici pæne æquat. *Oculi* laterales antici mediis anticis circa triplo minores sunt et cum iis pæne contingentes; linea recta laterales anticos supra tangens medios anticos prope marginem superiorem secat. Oculi 2^{æ} seriei paullulo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti mihi videntur. Oculi postici paullo longius a declivitate postica quam a margine frontis distant; spatio æque saltem magno a margine cephalothoracis atque inter se sunt remoti, cum lateralibus anticis rectangulum circiter $^1/_4$ latiorem quam longiorem formantibus; qui rectangulus circiter dupla oculi postici diametro angustior est postice quam cephalothorax eodem loco, longitudine $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis parum superans.

Mandibulæ plus dimidio, pæne duplo longiores quam latiores, patellis 1^i paris non parum breviores et paullo angustiores, a basi ad apicem sensim levissime angustatæ, latere exteriore leviter ad longitudinem convexo, latere interiore recto; in dorso modo leviter convexæ sunt, transversim sat crasse striatæ et pilis longioribus sparsæ. Sulcus unguicularis apice antice 2 dentibus parvis est armatus, apice postice, ut videtur, modo dente singulo parvo. Unguis brevis, sat fortis. *Palpi* breves, sat graciles, clava basin metatarsi 1^i paris latitudine saltem æquanti; pars patellaris parum longior est quam latior, pars tibialis etiam paullo brevior sed, in apice oblique truncato, paullo latior, æque saltem lata apice ac longa extus, longior extus quam intus: in apice lateris exterioris procursu corneo sive spina lata compressa sub-incurva anteriora versus et deorsum directa est armata, cujus apex in duos dentes divisus est. Pars tarsalis partes duas priores conjunctas longitudine saltem æquat, parte tibiali non parum latior, circa dimidio longior quam latior, apice obtusissimo; bulbus simplicissimus est, subter fere planus et orbiculatus. *Pedes* 1^i paris robusti et dense pilosi sunt, femoribus compressis et supra fortiter arcuato-convexis, tibiis et metatarsis sub-cylindratis et fere eadem latitudine inter se, desuper visis: patellæ circa duplo et dimidio longiores quam latiores sunt, tibiæ iis multo longiores, saltem quadruplo longiores quam latiores; metatarsi tarso pæne duplo longiores sunt; cum eo tibiam longitudine circiter æquantes. Aculeis longis crebris fortibus armati sunt pedes; femora anteriora supra ad apicem aculeis 4—5 et præterea supra 1. 1. aculeis armati sunt, tibiæ horum pedum subter 2. 2. 2. et intus 1. 1. aculeis, metatarsi vero 2. 2. aculeis, subter; patellæ anteriores antice aculeum habent, posteriores patellæ aculeum et antice et postice; metatarsi 3^{ii} paris apice et ad basin, metatarsi 4^i paris secundum totam longitudinem aculeati sunt. *Abdomen* anguste ovatum fere, duplo vel ultra longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, supra inter oculos posticos et declivitatem posticam clarior (hic in nostris exemplis detritus, remanentibus vestigiis pubescentiæ sub-luteæ et nigricantis); interdum in fundo testaceo-fuscus est, modo area inter-oculari utrinque et antice nigra; area inter-ocularis pube albo-cinerascenti est vestita, oculi tamen

anteriores pube lutea cincti, oculi postici quoque postice et extus macula lutea limbati, quæ ut lineola ab iis ad oculos 2æ seriei producta est; in lateribus et postice, ipsum dorsum cephalothoracis vitta procurva sat lata e pube cinerascenti formata includitur, lateribus et declivitate postica sub hac vitta nigricanti-pubescentibus, margine tamen plus minus late albo-pubescenti. Clypeus pilis longis albis raris sparsus est. Utrinque, paullo sub oculis 2æ seriei, penicillus gracilis e pilis paucis longis nigris paullo sinuatis parallelis et sursum et anteriora versus directis formatus conspicitur; præterea dorsum pilis sat longis erectis albicantibus non densis sparsum est. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* sub-picea vel piceo-testacea, cinerascenti-pilosa; maxillæ et labium apice pallida. *Mandibulæ* nigræ, pilis nigris parcius sparsæ. *Palpi* picei, vel testaceo-fusci et tum paullo nigro-annulati, pilis longis et pube sat crassa albo-cinerascentibus vestiti. *Pedes* anteriores vel saltem 1i paris picei sunt, interdum ad longitudinem sub-testaceo-fasciati; 1i paris pedes pilis longis patentibus albicantibus præsertim in patellis, tibiis et metatarsis sat densis sparsi sunt, præterea ad maximam partem, præsertim subter, nigro-pilosi, femoribus intus nigris supra crassius albo-cinerascenti-pubescentibus. Pedes posteriores fusco-testacei sunt, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis apice nigris vel præsertim in lateribus ad longitudinem nigro-fasciatis; minus dense albo-cinerascenti-pilosi et -pubescentes sunt hi pedes. *Abdomen* in fundo supra et in lateribus pallidum est, fasciis duabus longitudinalibus nigris a basi dorsi ad anum ductis notatum; superius pilis longis sub-erectis albicantibus sat dense est sparsum et pube crassa dense vestitum, quæ fascias duas laterales sat latas nigras et subluteo-marginatas secundum totum dorsum extensas format, spatio inter eas fasciam etiam paullo latiorem albicanti-cinerascentem formanti. Latera abdominis dense albicanti-pubescentia sunt, venter niger, parcius cinerascenti-pubescens. *Mamillæ* nigræ.

Lg. corp. $7^1/_4$; lg. cephaloth. $3^1/_4$, lat. ej. paullo plus 2, lat. clyp. paullo plus $1^1/_2$; lg. abd. 4, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I 7, II $5^1/_2$, III $6^1/_4$, IV $6^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. III pæne $2^1/_6$, pat. + tib. IV pæne $2^1/_4$, metat. + tars. IV 2 millim.

Mares duos ad Tjadé in Atjeh Sumatræ cepit D:r P. A. Klein.

Thiania (C. L. Koch), 1846.

79. ***Th. oppressa***, Thor.,[1] *Var.*

Femina, quam ad hanc speciem, ut varietatem ejus, referendam credo, in ins. Nicobare Minore inventa est (G.). Ad formam vulvæ cum femina *Th. oppressæ* plane convenit, parum nisi colore cephalothoracis (qui patellam + tibiam + metatarsum 4i paris longitudine

[1] Diagnosis *Th.* (*Marptusæ*) *oppressæ* nostræ hæc est:

Th. (*M.*) *oppressa*, n., cephalothorace patellam + tibiam + metatarsum 4i paris longitudine æquanti, humillimo, pæne plano, nigro, plaga maxima sub-lunata ferrugineo-fusca vel picea in parte thoracica notato, squamulisque sub-cupreis munito, quæ saltem vittam transversam apud oculos anticos formant; pedibus 1i paris reliquis paullo robustioribus, ad maximam partem piceis, reliquis pedibus ad maximam partem sub-testaceis; tibiis et metatarsis anterioribus aculeis multis armatis, tibiis anterioribus saltem in mare etiam supra aculeatis, metatarsis 4i paris (saltem in mare) non modo apice aculeatis; abdomine in fundo nigricanti, macula apicali pallida in dorso notato, squamulisque sub-cupreis munito, quæ (saltem in ♀) vittas transversas tres formant, anteriores duas recurvas, tertiam brevem rectam in ipso apice dorsi sitam; palpis brevibus, spina partis tibialis palporum in ♂ fortiter sursum curvata, duplam hanc partem longitudine æquanti; vulva ex foveis duabus magnis divaricantibus, septo postice disjunctis constanti. — ♂ ♀ *ad.* Long. ♂ circa $6^1/_4$, ♀ circa $6^1/_2$ millim.

æquat) paullo alio differens: fasciæ enim duæ transversæ cephalothoracis ex squamulis albicanti-cyaneis, non albicanti-aureis, formatæ sunt. Plaga pallida apicalis dorsi abdominis formam fasciæ longitudinalis brevis habet; præterea cephalothorax et abdomen ut in »*Th. oppressa*» ad colorem sunt. Pedes 1^{i} paris basi latius pallidiores sunt quam in femina typica; metatarsi 4^{i} paris, præter aculeos apicales, aculeum versus basin ostendunt. — *Th. oppressa* species est antea modo in Sumatra inventa.

Gen. **Tapinattus,** Thor., 1887.

80. ***T. melanognathus*** (Luc.).

Syn.: 1835—4.. *Attus melanognathus*, Luc., *in* Barker-Webb et Berthelot, H. N. d. iles Canaries, II, 2, Anim. Artic., p. 29, Pl. 7, figg. 4—4^{b}.

1887. *Tapinattus melanognathus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.* II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 362.

Mas adultus hujus speciei, quem ad Padang Sumatræ ceperat D:r Klein, a Soc. Entom. Haun. mecum communicatus fuit. — *T. melanognathus* species est per pæne totam terram, zonis frigidis exceptis, diffusa.

81. ***T. brachygnathus,*** Thor.

Syn.: 1887. *Tapinattus brachygnathus*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], loc. cit., p. 364.

Feminam, quam hujus speciei (in Birmania detectæ) credo, eam quoque in Sumatra, ad Tjadé (Atjeh). cepit D:r Klein. Oculi 2^{æ} seriei in ea evidentissime longius a lateralibus anticis quam ab oculis posticis remoti sunt. Tibiæ 1^{i} paris aculeo in latere interiore carent. Cephalothorax in fundo niger est, pube ad maximam partem cinerascenti vestitus et fascia marginali satis angusta alba in lateribus cinctus; pubescentia faciei ferruginea est, non læte lutea. Palpi sordide testacei, paullulo nigro-annulati (parte femorali ad maximam partem, basi, nigricanti), pilis longis albicantibus, intermixtis nigris, vestiti. Pedes sordide testacei, sat dense nigro-annulati. Abdomen supra nigrum, ordinibus duobus macularum ternarum valde inæqualium cinerascentium plus minus inter se confusarum secundum pæne totam longitudinem dorsi, magis intus, extensis notatum, spatio medio inter has maculas eo quoque ad partem cinerascenti; latera abdominis cinereo-albicantia sunt, venter nigricans, cinereo-pubescens.

Gen. **Chrysilla,** Thor., 1887.

82. ***Ch. debilis,*** Thor., *cephalothorace in fundo nigro-fusco, oculis utriusque lateris fascia nigra conjunctis, saltem hic illic pube albo-cœrulea vestito; palpis nigris, parte patellari pube cœrulescenti tecta; pedibus anterioribus ad maximam partem nigris, metatarsis tarsisque flavo-testaceis, pedibus 4^{i} paris flavo-testaceis, nigro-lineatis; abdomine supra antice fasciis duabus et linea media longitudinalibus abbreviatis nigris, postice vero fasciis duabus ejusmodi nigris in fundo sub-testaceo notato, pube albo-cœrulea, fascias longitudinales abbreviatas duas antice et singulam postice saltem formanti munito, dorso præterea et lateribus pube aurea vestitis. — ♂ ad. Long. circa 3 millim.*

Marem singulum a se in Pinang inventum mecum communicavit Cel. WORKMAN. Hæc species etiam in Sumatra vitam degit.

83. ***Ch. Reinhardtii***, N., *cephalothorace fusco, cupreo-ferrugineo-pubescenti, vitta transversa pallide cœrulea paullo ante oculos posticos sita et deorsum in latera ducta, ut et macula transversa inter hos oculos lineolaque longitudinali pone eos ejusdem coloris ornato, limbo laterali cephalothoracis posterius pallide cœruleo quoque; palpis pedibusque totis flavis; abdomine supra et in lateribus nigro, dorso lituris et maculis parvis pallidis dense variato et fascia media longitudinali antice abbreviata albicanti, in lateribus leviter rotundata et nigro-limbata ornato, squamulisque tenuissimis (vel quasi vernice) pallide cœruleis vestito, lateribus abdominis oblique pallido-vittatis. — ♀ ad. Long. circa 3$^1/_3$ millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* vix $^1/_3$ longior quam latior, patellam + tibiam + metatarsum 1^i paris, vel patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4^i paris longitudine circiter æquans, lateribus modo postice rotundatis brevi spatio posteriora versus angustatus, lateribus præterea rectis, immo antice, pone oculos laterales anticos, late et leviter sinuatis anteriora versus sensim paullulo dilatatus: frons levissime rotundata, cujus anguli ab oculis lateralibus anticis magnis et prominentibus occupantur, reliquo cephalothorace paullo latior igitur est. A latere visus cephalothorax modice altus est, fronte longe ante mandibulas prominenti: ante declivitatem posticam, quæ satis prærupta et levissime concavata est et dimidium reliqui dorsi longitudine saltem æquat, sat fortiter est proclivis et satis æqualiter et modice convexus, oculis posticis multo longius a lateralibus anticis quam a declivitate postica remotis. Clypei altitudo circiter $^1/_6$ diametri oculi medii antici æquat, sulcus ordinarius centralis brevissimus et tenuissimus est; arcubus supra-ciliaribus aliisque tuberculis caret cephalothorax, oculis posticis tamen valde eminentibus. *Oculi*, 2^{æ} serici exceptis, valde magni sunt; series eorum antica sat leviter sursum est curvata: linea recta medios anticos supra tangens laterales anticos tangit, vix secat. Oculi medii antici, ante laterales anticos modice prominentes, inter se contingentes sunt et ab his oculis, quibus circa duplo et dimidio sunt majores, spatio modo minutissimo separati, cum iis quasi contingentes. Oculi 2^{æ} seriei, minuti et oculis posticis multis partibus (fortasse 10.plo) minores, pæne in medio inter eos et oculos laterales anticos locum tenent, ut videtur paullulo longius ab his quam ab iis remoti; oculi postici lateralibus anticis modo paullo minores sunt et plus diametro sua altius quam ii positi; inter se evidentissime longius quam a margine cephalothoracis distant. Quadrangulus oculorum pæne dimidium longitudinis cephalothoracis occupat: paullo latior est antice quam postice, et saltem $^1/_4$ latior postice quam longior; postice parum (non $^1/_4$ diametri oculi postici) latior est, quam cephalothorax eodem loco. *Sternum* breviter ellipticum fere, coxis multo latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem saltem æquat.

Mandibulæ, longe retro pone clypeum valde reclinatum sitæ, parvæ sunt, directæ et parallelæ, femora antica latitudine non æquantes, circa dimidio longiores quam latiores; sulcus unguicularis dentibus mediocribus antice 2, postice 1 armatus est; unguis mediocris. *Maxillæ* breviores, sub-ovatæ, divaricantes, labio plus duplo longiores, apice extus rotundatæ; *labium* paullo latius quam longius videtur, apice rotundatum. *Palpi* mediocres; pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis eà non parum longior, a basi ad apicem sensim paullulo dilatata, pæne dimidio longior quam latior apice; pars

tarsalis partes duas priores conjunctas longitudine fere æquat, parte tibiali paullo latior, lateribus leviter rotundatis sensim angustato-acuminata, ovato-lanceolata fere! *Pedes* breves, sat graciles, anteriores posterioribus vix robustiores; ad longitudinem ita: IV, III, I, II se excipere videntur, aculeis non multis gracilibus et ad maximam partem sat brevibus armati; subter in tibiis et metatarsis 1[i] paris aculei tamen sat longi sunt. Patellæ, ut tibiæ supra, aculeis carent; tibiæ 1[i] paris subter aculeis 2. 2. 2. et (saltem) antice 1 aculeo muniti sunt, metatarsi 1[i] paris subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis. Metatarsi posteriores non tantum apice, verum etiam versus basin aculeati sunt. *Abdomen* ovatum, postice sub-acuminatum. Area *vulvæ* ferruginea foveas duas paullo obscuriores, spatio earum diametro non majore separatas ostendit: quum in fluido immersa est aranea, ex duabus areis mediocribus rotundatis paullo oblongis, postice unitis sive contingentibus, anteriora versus divaricantibus, ferrugineis constare videtur vulva. *Mamillæ* mediocres, superiores inferioribus vix vel non longiores iisque parum angustiores.

Color. — *Cephalothoraxæ* in fundo ad maximam partem fuscus est, maculis solitis ocularibus utrinque antice (circum oculum posticum et pone oculum lateralem anticum) nigris; pone oculos posticos lineam mediam longitudinalem pallidam ostendit, et vestigia vittæ transversæ inæqualis pallidæ inter eos. Pube cupreo-ferruginea præsertim posterius vestitus est, hac pictura e squamulis albo-cœruleis ornatus: paullo ante oculos posticos (apud oculos 2[æ] seriei) vittam transversam ostendit, quæ utrinque deorsum in latera ducta est ibique cum fascia ejusdem coloris, marginem cephalothoracis posterius occupanti, conjuncta; præterea macula transversa inter oculos posticos et lineola media longitudinali pone eam notatus est, tota hac pictura, ut dixi, albo-cœrulea. *Sternum, labium* et *maxillæ* pallide fusco-testacea. *Mandibulæ* obscure fuscæ. *Palpi* et *pedes* toti flavi. *Abdomen* in fundo supra et in lateribus nigrum est, in dorso striis et lituris parvis pallidis dense variatum, et fascia lata albicanti saltem a medio dorso ad anum ducta, in lateribus leviter rotundata et nigro-limbata ornatum, paulloque ante hanc fasciam maculis duabus parvis pallidis (apicibus posticis eam fere tangentibus) notatum, in lateribus vero vittis paucis transversis obliquis pallidis, usque in ventrem productis pictum. Supra squamulis tenuissimis pallide cœruleis, in cupreum colorem exeuntibus, præsertim posterius tectum est abdomen, pictura fundi tamen plus minus translucenti. Venter ad maximam partem cinerascenti-testaceus est: hic color pone rimam genitalem fascias duas latissimas pæne rectas et parallelas, usque pone mamillas pertinentes et spatio nigricanti iis angustiore separatas formant; parce pallido-pilosus est et, ut latera abdominis, squamulis omnium tenuissimis sub-cupreis vestitus (vel quasi vernice hujus coloris illitus). *Mamillæ* sub-testaceæ.

Lg. corp. $3^1/_3$; lg. cephaloth. paullo plus $1^1/_2$, lat. ej. (frontis) $1^1/_6$; lg. abd. paullo plus $1^1/_2$, lat. ej. 1 millim. Ped. I pæne 3, II $2^2/_3$, III 3, IV $3^2/_3$ millim. longi; pat. + tib. III circa 1, pat. + tib. IV $1^1/_4$, metat. + tars. IV fere $1^1/_2$ millim.

Exemplum singulum femineum vidi, in ins. Nicobare Minore captum (G.).

84. ***Ch. versicolor*** (C. L. Koch), *cephalothorace nigricanti, vitta lata procurva submarginali alba in lateribus et postice cincto, ante oculos posticos plus minus evidenter pallido-maculato, pone hos oculos linea sat longa transversa paullo retro fracta alba ornato, quæ in medio postice in maculam magnam retro directam est dilatata, pone hanc lineam vero maculis duabus minoribus albis notato; clypeo, ut margine frontali, macula magna*

media alba signatis; pedibus olivaceo-testaceis, anterioribus nigricanti-annulatis, tibiis metatarsisque anterioribus annulo lato albo cinctis; abdomine sub-fusco, fasciis duabus longitudinalibus latis flavo-albidis secundum latera dorsi extensis ornato, ventre pallidiore, lateribus infra albicantibus. — ♂ ad. Long. saltem 4½ millim.

Syn.: 1846. *Plexippus versicolor*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 103, Tab. CCCCXLIX, fig. 1165 (= ♂ *ad.*).
1848. *Mævia picta*, id., ibid., XIV, p. 72, Tab. CCCCLXXVIII, fig. 1328 (= ♂ *jun.*).

Mas. — *Cephalothorax* æque circiter longus ac patella + tibia + dimidium metatarsi 4ⁱ paris, circa ⅓ longior quam latior, lateribus posterius rotundatis, anterius vero pæne parallelis: frons parte thoracica igitur modo parum angustior est. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum vix ulli; in medio inter oculos posticos modo leviter impressus est cephalothorax. Minus altus est; a latere visum dorsum ipsum ejus modice et satis æqualiter est convexum, antice proclive, postice brevius et paullo minus fortiter declive; declivitas postica dimidium reliqui dorsi longitudine vix æquat. Clypei altitudo fere ⅓, non dimidium, diametri oculi maximi æquat. Quadrangulus *oculorum* pæne dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; modo paullulo latior est antice quam postice, non ¼ latior quam longior, et vix singuli oculi postici diametro latior postice quam cephalothorax eodem loco. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos tangit, non secat. Oculi medii antici valde magni et prominentes sunt, inter se contingentes et oculis lateralibus anticis (cum quibus a fronte visi pæne contingentes videntur) triplo majores. Oculi 2ᵃᵉ seriei minuti non parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici, lateralibus anticis vix vel parum minores, spatio paullo majore inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt. *Sternum* inverse ovatum, circa dimidio longius quam latius, coxis multo latius.

Mandibulæ parallelæ, pæne directæ, lateribus parallelis, apice paullo oblique rotundato-truncato; duplo longiores quam latiores sunt, in dorso deplanatæ et sub-excavatæ. Sulcus unguicularis dentibus minutis antice 2, postice 1 armatus videtur. *Maxillæ* paullo divaricantes, circa duplo longiores quam latiores, labio pæne duplo longiores, in latere exteriore paullo sinuatæ, apice intus oblique truncato, extus ample rotundato. *Labium* longius quam latius, lateribus leviter rotundatis apicem versus paullo angustatum. *Palpi* graciles, clava tibias anticas latitudine vix vel non æquanti; pars patellaris circa dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ brevior, parum longior quam latior, in apice lateris exterioris spina porrecta tenui brevi acuminata paullo incurva pallida armata; pars tarsalis, partes illas conjunctim longitudine fere æquans, iis parum latior est, circa triplo longior quam latior, apicem obtusissimum versus parum angustata, in latere exteriore late et leviter sinuata, latere interiore levissime rotundato; bulbus humillimus. *Pedes* breves, ita: IV, III, I (vel I, III), II longitudine se excipientes, 1ⁱ et 3ⁱⁱ parium eadem longitudine fere, pedes 3ⁱⁱ paris non robustiores quam sunt pedes 4ⁱ paris. Tibia 1ⁱ paris patellâ circa dimidio est longior, metatarsus hujus paris tarso duplo longior; tibia 4ⁱ paris patellâ duplo longior est. Tibia cum patella 4ⁱ paris non parum est longior quam tibia cum patella 3ⁱⁱ paris, et æque longa ac metatarsus cum tarso 4ⁱ paris. Parcius pilosi sunt pedes, aculeis crebris debilioribus armati: præsertim in femoribus posterioribus aculei longi sunt. Patellæ anteriores aculeis carent, posteriores patellæ aculeo postice sunt instructæ. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 1. 1., postice 1. 1. aculeos habent; supra omnes tibiæ

aculeis carent. Metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis muniti sunt. Metatarsi posteriores non tantum apice sunt aculeati. *Abdomen* angustius ovatum, postice longius acuminatum. *Mamillæ* superiores inferioribus parum longiores et angustiores, art. 2° brevissimo.

Color. — *Cephalothoraxæ* in fundo ad maximam partem nigricans est, squamulis tenuibus densissimis olivaceo-nigris (antice paullo clarioribus) tectus et hac pictura e pube formata ornatus. Postice et in lateribus vitta lata procurva alba est cinctus, quæ in medio postice sub-abrupta est, extremitatibus anticis fere ad genas pertinens; hæc vitta antice in lateribus plane marginalis est, posterius vero spatio angusto nigricanti a margine laterali separata. Clypeus in medio maculam albam ostendit, præterea sub-olivaceo-pubescens est. Paullo pone oculos posticos maculam mediam sat magnam sub-oblongam albam ostendit cephalothorax, quæ utrinque antice cum lineola transversa sub-obliqua ejusdem coloris et versus apicem (extus) paullo dilatata conjuncta est; pone eas, in declivitate postica, maculæ duæ parvæ albæ conspiciuntur, cum apicibus lineolarum illarum (non parum pone oculos posticos sitis) trapezium multo latius antice quam postice et multo latius quam longius formantes. Margo frontalis maculam mediam magnam albam ostendit; annuli circum oculos anticos ad partem albi, ad partem rubri sunt; supra utrumque oculum medium anticum pili densi porrecti nigri penicillum brevissimum formant; in utroque latere, pone oculum 2ᵉ seriei, maculam cuneiformem albam video, vestigiaque maculæ majoris albicantis in medio paullo ante oculos posticos sitæ. *Sternum, maxillæ* et *labium* olivaceo-testacea, *mandibulæ* obscuriores, *palpi* olivaceo-testacei, tenuiter sericeo-albo-pubescentes. *Pedes* quoque sub-olivaceo-testacei, plerique vix vel parum nigricanti-annulati, tenuiter sericeo-albo-pubescentes, nigro-pilosi et -aculeati: 1ⁱ paris tamen evidentius nigricanti-annulati sunt, et præterea annulum basalem latum album e pube densa formatum in tibiis et metatarsis habent. *Abdomen*, squamulis tenuissimis dense vestitum, supra et in lateribus olivaceo-fuscum vel -nigricans est, fasciis duabus longitudinalibus latis flavo-albidis secundum latera dorsi a basi usque ad anum extensis ornatum, his fasciis utrinque linea purius nigra limitatis; venter testaceo-fuscus est, pube tenui alba vestitus, versus latera magis albus. *Mamillæ* olivaceo-testaceæ.

Lg. corp. $4^1/_2$; lg. cephaloth. $2^1/_3$, lat. ej. circa $1^3/_4$, lat. front. saltem $1^1/_2$; lg. abd. $2^1/_2$, lat. ej. circa $1^1/_4$ millim. Ped. I pæne 5, II circa $4^2/_3$, III pæne 5, IV $5^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. III pæne $1^2/_3$, pat. + tib. IV $1^3/_4$, metat. + tars. IV $1^3/_4$ millim.

Exemplum masculum adultum nunc descriptum et dimensum in Sumatra ad Padang a D:re Klein inventum est. Cel. Workman nuper mares paucos $5^1/_2$—7 millim. longos (majores igitur quam exemplum illud parvum) in Pinang a se collectos nuper mecum communicavit. Pedes anteriores in his exemplis distinctissime nigro- et albo-annulati sunt; pili frontis densi, porrecti et æqualiter detonsi quasi cristam in medio albissimam, utrinque nigram supra oculos anticos formant.

Feminas duas in Pinang invenit Workman, quas, quamquam maribus *Ch. versicoloris* valde dissimiles sunt, hujus speciei tamen credo. *Cephalothoraxæ* in his feminis in fundo niger dici potest, limbo lato pallido cincto, a quo in medio postice ramus brevis anteriora versus dirigitur, hic cum area maxima transversa paullo pone oculos posticos sita, ea quoque pallida, conjunctus; area inter-ocularis quoque pallida est. Pube densa

sat crassa opaca vestitus est cephalothorax, et ita supra in parte cephalica pallide ferrugineus, albo- et paullo nigro-maculatus evadit: margo frontalis saltem in medio albus vel macula alba notatus est, et paullo ante oculos posticos maculæ tres albæ in seriem longam transversam ordinatæ conspiciuntur (in exemplo altero inæqualiter albo- et sub-ferrugineo-variata videtur area inter-ocularis). Paullo pone oculos posticos vittam longam transversam in medio latissimam, extremitates versus sensim angustatam, albam, antice lineà bis procurvà nigrà limitatam ostendit cephalothorax, et interdum pone eam, in declivitate postica, maculas duas parvas albas. Fascia marginali lata alba cingitur, quæ e medio postice ramum brevem ad vittam illam transversam emittit; clypeus densissime albo-pubescens est, annuli circum oculos anticos ad partem albi, ad partem pallide ferruginei. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* pallide, sub-cinereo-, testacea, *mandibulæ* sub-fuscæ. *Palpi* flaventes, albo-pubescentes et -squamulosi. *Pedes* pallide cinerascenti-testacei, saltem anteriores distinctissime nigro-annulati; pallido-pilosi et -pubescentes sunt et ad partem supra, præsertim in tibiis et metatarsis anterioribus, squamulis tenuissimis sericeis albis vestiti. *Abdomen* pube densissima nigra, alba et sub-ferruginea tectum et variatum est: saltem interdum fascia media longitudinali longa alba notatum est dorsum, quæ fere in medio ejus dilatata est, tum abrupta, denique utrinque incisa sive crasse dentata; in utroque latere abdominis, superius, fascia longitudinalis inæqualis, postice abrupta et abbreviata adest quoque, et inter has tres fascias dorsum sub-ferrugineo-, nigro- et paullo albo-variatum est. Latera abdominis, præsertim posterius, albo-variata quoque. Venter cinerascens macula parva nigra utrinque in ipso apice notatus est, pube et squamulis albis vestitus. *Vulva* ex fovea parva oblonga fusca constat. *Mamillæ* pallidæ.

♀. — Lg. corp. $5^1/_4$; lg. cephaloth. $2^1/_4$ (circiter = pat. + tib. + $^2/_3$ metat. IV), lat. ej. parum plus $1^1/_2$, lat. front. $1^1/_2$; lg. abd. 3, lat. ej. $1^1/_2$ millim. Ped. I parum plus 4, II $3^1/_4$, III $4^3/_4$, IV $5^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. I $1^1/_2$, pat. + tib. III $1^1/_2$, pat. + tib. IV paullo plus $1^1/_2$, metat. + tars. IV pæne $1^2/_3$ millim.

Præter in ins. Pinang, Sumatra et Bintang etiam in Singapore, ubi Workman eam cepit, vitam degit hæc species. — Non dubium mihi videtur, quin sit *Mævia picta*, C. L. Koch, exemplum junius »*Plexippi versicoloris*» ejusdem scriptoris. — Cephalothorace anteriora versus paullulo angustato hæc species transitum a *Chrysilla* ad *Mæviam* format.

Gen. **Epocilla**, Thor., 1887.

85. ***E. prætextata***, Thor., *cephalothorace albo, fasciis duabus longitudinalibus latis rubris apice postico nigris ornato, limbo laterali sub-testaceo; sterno, partibus oris, palpis et pedibus flavo-testaceis, mandibulis paullo infuscatis; abdominis dorso rubro, fascia media longitudinali sub-aurea, postice in utroque margine profunde serrata ornato, et in lateribus fascia lata argenteo-alba cincto; ventre cinereo-argenteo. — ♀ ad. Long. circa $8^1/_3$ millim.*

Syn.: 1887. *Epocilla prætextata*, Thor. [Viaggio di L. Fea, *cet.*, II], Primo Saggio sui Ragni Birmani, loc. cit., p. 378 (= ♂).

Femina mari ad colorem quidem sat similis est, ad formam vero multum ab eo differens. *Cephalothorax*, qui patellam + tibiam + metatarsum 4^i paris longitudine pæne

æquat, et plus dimidio longior quam latior est, in lateribus non ut in mare fortiter et amplissime usque ad oculos laterales anticos est rotundatus, sed lateribus modo posterius fortiter rotundatis, antice vero pæne rectis sensim anteriora versus et usque ad oculos illos paullulo angustatus, posteriora versus vero fortius et citius angustatus, et in medio postice breviter truncato-emarginatus. Sat humilis est cephalothorax, parte cephalica supra plana; a latere visum dorsum ejus ante oculos posticos (qui in medio ipsius dorsi locum tenent) rectum et modo paullo proclive est, pone eos paullo fortius declive et pæne rectum quoque, declivitate postica modice declivi, recta et dimidium ipsius dorsi longitudine circiter æquanti. Clypeus (saltem cum margine ejus nudo) dimidiam oculi maximi diametrum altitudine saltem æquat. Tuberculum illud læve in medio cephalothoracis paullo ante oculos posticos situm distinctum quidem est, sed minus quam in mare. Quadrangulus *oculorum*, vix vel parum angustior postice quam antice, et circa $^1/_4$ latior quam longior, saltem dupla oculi postici diametro latior est postice quam cephalothorax eodem loco. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos tangit, vix secat, si a fronte inspicitur cephalothorax. Oculi minuti seriei 2^{æ} vix vel parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant: hi oculi oculos posticos magnitudine non superant, oculis mediis anticis circa duplo et dimidio minores. Oculi postici paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis multo latius; spatium inter coxas 1^{i} paris labii latitudinem paullo superat.

Mandibulæ parallelæ, deorsum et paullo anteriora versus directæ, cylindratæ, pæne duplo longiores quam latiores, patellas anticas longitudine et latitudine circiter æquantes, in dorso versus medium modice convexæ, læves et nitidæ, parce pilosæ; sulcus unguicularis postice 1, antice 2 dentibus mediocribus est armatus. Unguis mediocri longitudine, sat gracilis. *Maxillæ* a basi apicem versus lateribus pæne rectis sensim dilatatæ, apice intus oblique truncato, præterea fortiter et ample rotundato; circa duplo longiores quam latiores (versus apicem) sunt, labio vix dimidio longiores. *Labium* paullo longius quam latius basi, a basi ad apicem breviter rotundato-truncatum lateribus rectis sat fortiter angustatum. *Palpi* breves et graciles. *Pedes* breves, crassitie mediocri, 1^{i} paris reliquis paullo robustiores, 4^{i} paris pedibus 3^{ii} paris paullo graciliores, patella 4^{i} paris patellam 3^{ii} paris longitudine æquans sed eà paullo angustior; 4^{i} paris pedes, qui reliquis paullo longiores sunt, cephalothorace vix duplo et dimidio sunt longiores. Parcius pilosi et pubescentes sunt pedes et aculeis gracilibus non multo crebris armati; patellæ saltem anteriores aculeis carent: modo postice in patellis 3^{ii} paris aculeum parvum gracillimum video. Femora anteriora 5 aculeos habent, tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos paullo majores; præterea inermes sunt pedes anteriores. Tibiæ omnes supra aculeis carent; metatarsi posteriores non tantum apice, verum etiam versus medium et basin aculeati sunt. *Abdomen* sub-depressum, plus duplo longius quam latius, antice obtusum, postice longius angustato-acuminatum, ovato-fusiforme fere. *Vulva* constat ex area minuta transversa cornea pallide fusca, quæ antice late sub-truncata est, margine postico vero bis procurvo; in foveas duas rotundatas, spatio satis angusto disjunctas, excavata est hæc area.

Color. — *Cephalothorax* in fundo sub-testaceus est, fasciis duabus longitudinalibus latis fuscis notatus; pube squamuli-formi densa est tectus itaque supra, usque sub oculis

lateralibus, miniato-ruber, hoc colore fascias duas longitudinales latissimas formanti, quæ in declivitate postica sensim angustatæ sunt ibique nigræ evadunt; præterea ejusmodi pube albissima est vestitus, quæ tres fascias longitudinales latas format, mediam magis argenteam pæne ab oculis anticis ad marginem posticum ductam et posterius sensim paullo angustatam, reliquas duas non parum supra margines totum cephalothoracem, excepto in medio postice, cingentes, clypeo, ipso margine excepto, squamulis densis albis tecto; limbus lateralis cephalothoracis sat late testaceus remanet, modo parce albo-pubescens, summo margine nigro. Annuli circum oculos anticos supra rubri, præterea albi sunt. *Sternum, partes oris* (*mandibulis* fusco-testaceis exceptis), *palpi* et *pedes* flavo-testacea sunt, parce albicanti-pilosa et -pubescentia; aculei pedum nigri. *Abdomen* in fundo sub-testaceum vel -cinerascens est, squamulis parvis sericeo-micantibus undique tectum: superius ita cupreo-rubrum evadit, fasciis longitudinalibus tribus latis albis ornatum, quarum media (in nostro exemplo ad partem detrita), a basi dorsi ad anum extensa et pone medium e serie triangulorum parvorum composita, tamen magis aurea vel flavens est, reliquæ duæ, latera abdominis superius cingentes, albissimæ. Latera inferius et venter tenuiter et paullo minus dense cinerascenti-argenteo-squamulosa. *Mamillæ* sub-testaceæ.

Lg. corp. $8^1/_3$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. $2^1/_4$, lat. front. pæne 2; lg. abd. $5^1/_2$, lat. ej. $2^2/_3$ millim. Ped. I fere $6^1/_4$, II $5^1/_2$, III paullo plus 6, IV circa 7 millim. longi; pat. + tib. I pæne $2^1/_2$, pat. + tib. III $1^3/_4$, pat. + tib. IV paullo plus 2, metat. + tars. IV 2 millim.

Femina supra descripta a Workman in ins. Pinang est inventa. Mas in Java, in Nias et in Birmania captus fuit.

Gen. **Mævia** (C. L. Koch), 1848.

86. ***M. alternans*** (C. L. Koch), *cephalothorace nigro, vittis duabus transversis orichalceo-viridibus ornato, anteriore earum latissima, posteriore apicibus cum fascia marginali ejusdem coloris, quæ cephalothoracem posterius cingit et in medio abrupta est, unita; abdomine nigro, vittis tribus transversis orichalceo-viridibus; palpis pedibusque nigris, femoribus 4^i paris basi, metatarsis in medio, tarsis posterioribus totis testaceis; mandibulis subfuscis, longis, admodum divaricantibus, ungui longissimo, bis sinuato-incurvo; bulbo genitali postice intus longe retro producto et paullo foras curvato. — ♂ ad. Long. circa $4^1/_2$ millim.*

Syn.? 1846. *Plexippus vittatus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 125, Tab. CCCCLIII, fig. 1185 (= ♀ *jun.*).
1846. *Hyllus alternans*, id., ibid., p. 169, Tab. CCCCLX, fig. 1222.

Mas. — *Cephalothorax* patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4^i paris longitudine pæne æquat, circa dimidio longior quam latior, anterius lateribus levissime rotundatis usque ad oculos laterales anticos sensim paullo angustatus, posterius in lateribus fortius rotundatus, postice satis anguste truncatus et sub-emarginatus; frons modo leviter rotundata est, parte thoracica evidenter angustior. Sat altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam sat præruptam satis æqualiter et non parum convexo, ante oculos posticos, qui fere in medio dorsi ipsius locum tenent, leviter proclivi, pone eos paullo fortius declivi et in declivitatem posticam sine ullo limite sensim transeunti.

Pars cephalica etiam transversim paullulo convexa est; clypeus cum membrana sua circa $^1/_3$ diametri oculi maximi altitudine æquat. Quadrangulus *oculorum*, qui circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat, circa $^1/_4$ latior est quam longior, et paullulo latior antice quam postice, ubi pæne dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos parum sub margine superiore secat; hi oculi illis paullo plus duplo minores sunt et ab iis spatio parvo sejuncti. Oculi seriei 2^{æ} vix longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, lateralibus anticis paullulo minores, paullulo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* inverse sub-ovatum, antice late truncatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem paullo superat.

Mandibulæ basi secundum circa $^1/_3$ longitudinis suæ contingentes sunt inter se et sensim dilatatæ, dein vero valde divaricantes et apicem versus sensim angustatæ, latere exteriore toto foras curvato, intus vero in sulcum unguicularem latum et longissimum excavatæ, cujus margo anticus leviter bis sinuatus est, margo posticus vero dente forti paullo ante medium armatus. Unguis longissimus, sat gracilis et sat leviter bis (ad apicem brevius, ad basin longius) incurvus. *Maxillæ* labio duplo longiores, latere exteriore apice in lobum maximum triangulum foras directum dilatato. *Labium* paullo longius quam latius, pæne a basi ad apicem sub-obtusum sensim angustatum. *Palporum* pars patellaris dimidio longior quam latior est, pars tibialis eà fere duplo brevior, non longior quam latior, procursu brevi crasso sub-triangulo foras directo ad basin lateris exterioris, magis subter, munito; a basi hujus procursus, infra, dens porrectus acuminatus excurrit. Pars tarsalis, patellam 1^i paris latitudine vix æquans, partibus duabus prioribus circa dimidio latior est et iis conjunctis non parum longior: sub-ovato-lanceolata est, lateribus apud apicem sat longum et obtusissimum pæne parallelis, præterea modice rotundatis. Bulbus postice, intus, longe retro productus est et hic circum partem tibialem paullo curvatus. *Pedes* graciles, modice longi, 1^i paris reliquis paullo crassiores; femora saltem 1^i paris paullulo compressa et supra ad longitudinem arcuato-convexa sunt. Aculei pedum debiles. Modo patellæ posteriores aculeum, postice situm, habent; tibiæ supra aculeis carent. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos habere videntur, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. *Abdomen* ovatum, postice sensim angustato-acuminatum.

Color. — *Cephalothorax* niger est, antice pallidior et hic fascia transversa latissima, a margine frontali usque ad oculos posticos pertinenti et deorsum in lateribus paullo producta, e squamulis tenuibus orichalceo-viridibus formata ornatus, aliaque fascia transversa ejusdem coloris fere in medio partis thoracicæ sita: hæc fascia tamen angustior est, antice leviter rotundata, in medio postice dilatata, et apicibus deorsum productis cum fascia lata marginali in medio abrupta ejusdem coloris, quæ partem thoracicam saltem posterius circumdat, unita. Clypeus squamulis ejusdem coloris vestitus est, ut mandibulæ basi. *Sternum* nigrum, æneo-viridi- vel aureo-squamulosum, *mandibulæ* fusco-ferrugineæ, *maxillæ* et *labium* nigra, apice pallida. *Palpi* nigri, nigro-pilosi et -pubescentes. *Pedes* nigri vel nigricantes, coxis et trochanteribus cum basi femorum præsertim subter nigricanti-testaceis (basi femorum 4^i paris cum coxa et trochantere flavo-testacea); metatarsi omnes, apice et basi nigris exceptis, et tarsi sex posteriores flavo-testacei sunt. Nigro-pilosi et

-pubescentes sunt pedes, et saltem ad partem squamulis tenuissimis metallice micantibus vestiti. *Abdomen* nigrum, vittis tribus transversis orichalceo-viridibus ornatum, quarum prima ad marginem anticum dorsi sita idque hic cingens lata est, anterius rotundata, postice ad rectam lineam truncata; vitta secunda non parum angustior est, præsertim in medio, in lateribus abdominis vero dilatata; vitta tertia paullo ante apicem dorsi ducta brevis sed sat lata est. Color vittarum omnium tum cephalothoracis quum abdominis certo modo visarum in cyaneum vel cupreum exit. Venter niger cinerascenti-pubescens est paulloque æneo-squamulosus. *Mamillæ* nigræ.

Lg. corp. $4^1/_2$; lg. cephaloth. $2^1/_3$, lat. ej. saltem $1^5/_6$, lat. front. pæne $1^1/_2$; lg. abd. $2^1/_6$, lat. ej. $1^1/_2$ millim. Ped. I 6, II pæne 5, III $5^1/_4$, IV 6 millim. longi; pat. + tib. I circa $2^1/_3$, pat. + tib. III paullo plus $1^1/_2$, pat. + tib. IV saltem $1^5/_6$, metat. + tars. IV $1^5/_6$ millim.

Cel. Workman marem singulum supra descriptum in Pinang cepit.

87. ***M. luteo-cincta***, n., *cephalothorace nigro, squamulis æneo-viridibus toto tecto, annulis circum oculos anticos rufo-luteis; palpis pedibusque flavo-testaceis; abdomine nigro, vittis transversis quattuor satis angustis et inæqualibus luteis supra ornato (prima harum vittarum recurva et apicibus longe retro producta) et inter eas paullo luteo-variato quoque, ventre maculis duabus magnis angulatis albis in fasciam longitudinalem unitis utrinque notato, ut et maculis duabus apicalibus albis, linea transversa alba unitis. — ♀ jun. Long. circa $5^1/_2$ millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* æque longus ac patella + tibia + $^2/_3$ metatarsi 4^i paris, plus dimidio longior quam latior, lateribus secundum maximam longitudinis partem et usque ad oculos laterales anticos parum rotundatis, pæne rectis anteriora versus sensim modo parum angustatus, lateribus postice modice rotundatis posteriora versus brevi spatio citius angustatus, postice sat late truncato-emarginatus; frons leviter rotundata parte thoracica modo paullo angustior est. Sat humilis est cephalothorax, parte cephalica transversim parum convexa; a latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos, qui paullo ante medium dorsi ipsius locum tenent, leviter convexum et modice proclive est, pone hos oculos eodem modo declive sed pæne recto; declivitas postica sat longa, recta, non prærupta sed sat leniter declivis. Clypeus verus $^1/_3$ diametri oculi maximi vix altitudine æquat; cum membrana sua dimidiam hanc diametrum altitudine superat. Quadrangulus *oculorum* vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; paullulo latior postice quam antice mihi videtur, et fere $^1/_4$ latior quam longior; postice æque latus est ac cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici lateralibus anticis plus duplo majores sunt et ab iis spatiis modo minutis separati. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos tangit, vix secat. Oculi serici 2^{ae} parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici lateralibus anticis paullo minores sunt, et non parum longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. *Sternum* magnum, inverse ovatum, antice truncatum, coxis multo latius. Spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem paullo superat.

Mandibulæ directæ, parallelæ, pæne cylindratæ, patellas anticas crassitie æquantes, duplo longiores quam latiores, in dorso leviter convexæ, nitidæ, læves, paullo pubescentes. *Maxillæ* parallelæ, sub-ovatæ, pæne duplo longiores quam latiores, et labio plus dimidio, non duplo, longiores; *labium* pæne dimidio longius quam latius, lateribus versus apicem

paullo rotundatis sensim angustatum, apice breviter truncato. *Pedes* breves, aculeis debilibus; patellæ anteriores aculeis carent, patellæ posteriores utrinque aculeo præditæ sunt, tibiæ omnes supra aculeis carent. Tibiæ anteriores subter aculeos 2. 2. 2., antice 1 aculeum habent; metatarsi anteriores modo subter aculeis (2. 2.) armati sunt. Metatarsi posteriores non tantum apice, verum etiam ad basin et ad medium aculeati. *Abdomen* longum, cylindrato-lanceolatum.

Color. — *Cephalothorax* niger totus, squamulis parvis æneo-viridibus, versus margines laterales magis aureis, tectus, excepto quod clypeus olivaceo-testaceo-pubescens est, sub oculis lateralibus anticis vero cupreo-micans; annuli circum oculos anticos pulchre rufo-lutei, infra magis olivaceo-testacei. *Sternum* nigrum, albo-pilosum et æneo-viridi-squamulosum. *Mandibulæ* pallide fuscæ, *maxillæ* paullo clariores; *labium* nigricans, antice pallido-marginatum. *Palpi* et *pedes* toti flavo-testacei, albo- et nigro-pubescentes, saltem hic illic æneo-viridi-squamulosi; aculei pedum nigri. *Abdomen* nigrum supra vittis transversis angustis quattuor luteis (non aureis) minus æqualibus est ornatum, quarum prima, ad marginem anticum sita, recurva est et apicibus longe retro in lateribus dorsi, fere usque ad vittam secundam, producta; vitta secunda fere in medio dorsi locum tenet, tertia in medio inter eam et apicem posticum dorsi, quarta ad ipsum apicem (etiam sub-cupreo-micantem); in interstitiis inter (pone) has vittas abdomen plus minus luteo-variatum quoque est, ut in lateribus. Venter utrinque fascia longa valde inæquali posterius abrupta alba includitur, quæ ex maculis tribus confusa videtur, duabus posterioribus præsertim angulatis, media (triangula) cum apice vittæ dorsualis secundæ conjuncta; macula ultima (libera) apicalis est et cum macula apicali alterius lateris lineola transversa alba conjuncta. *Mamillæ* nigerrimæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. $5^1/_4$; lg. cephaloth. $2^1/_4$, lat. ej. paullo plus $1^1/_2$, lat. front. pæne $1^1/_2$; lg. abd. 3, lat. ej. $1^1/_6$ millim. Ped. I $3^4/_5$, II $3^3/_4$, III $4^1/_2$, IV pæne $5^1/_2$; pat. + tib. I $1^1/_2$, pat. + tib. III circa $1^1/_2$, pat. + tib. IV $1^3/_4$, metat. + tars. IV $1^3/_4$ millim.

Feminam singulam nondum adultam vidi, in ins. Pinang a Cel. Workman captam. Vix eadem est hæc species ac *Mævia quadri-cincta*, Sim.[1], quæ vittam abdominis primam albam, sequentes ex squamulis læte aureis et albis compositas habere dicitur.

Gen. **Telamonia**, Thor., 1887.

88. ***T. Peckhamii***, n., *cephalothorace in fundo fusco, pube sub-ferruginea vestito et vitta magna lata procurva alba e pube formata in lateribus et postice, superius, cincto, maculaque sat magna oblonga alba in medio inter oculos posticos notato; pedibus fusco-testaceis, pedibus 3ii paris pedes 4i paris longitudine non superantibus; abdomine longo et angusto, dorso fusco fascia media longitudinali alba antice, et pone eam serie vittarum brevium transversarum retro fractarum albarum (et saltem singula ejusmodi vitta nigra paullo supra anum sita) ornato. — ♂ ad. Long.* $7^1/_4$—$8^2/_3$ *millim.*

[1] Matér. pour servir à la faune Arachn. de l'Asie Mérid. III. Arachn. recueillis dans la presqu'île de Malacca. Appendice. Descr. de quelques Attidæ de Singapore, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), p. (18).

Testaceo-fusca, cephalothorace paullo obscuriore, antice figura magna alba e pube formata et maculam obscuriorem fere quadratam in medio areæ inter-ocularis sitam includenti ornato; pedibus ut in mare diximus; abdomine in fundo obscure testaceo et maculis paucis nigris utrinque in dorso notato, his maculis supra anum in vittas breves transversas retro fractas nigras binis conjunctis, dorso præterea pube aureo-fusca vestito et lineis duabus lateralibus aliaque media e pube alba formatis plerumque notato, linea media postice in vittas paucas breves retro fractas, cum vittis apicalibus illis nigris alternantes, dilatata. — ♀ ad. Long. circa 11½ millim.

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, patellam + tibiam + metatarsum + dimidium tarsi 1ⁱ paris longitudine circiter æquans, non parum longior quam tibia cum patella 4ⁱ paris, lateribus postice fortiter rotundatis hic posteriora versus fortiter angustatus, lateribus præterea pæne rectis anteriora versus sensim modo paullulo angustatus, in medio postice sat breviter truncatus; frons, quæ leviter rotundata est et cujus anguli ab oculis lateralibus anticis magnis occupantur, parte thoracica modo paullo est angustior. Modice altus est cephalothorax, declivitate postica non multo prærupta et in reliquum dorsum, quo non duplo brevior est, pæne sine limite transeunti, dorso ante eam sat fortiter et æqualiter convexo, oculis posticis paullo longius a lateralibus anticis quam a declivitate postica remotis; pone hos oculos, qui satis eminent, modice declive, ante eos paullo magis proclive est dorsum. Clypei altitudo dimidiam diametrum oculi medii antici vix æquare videtur. *Oculi* medii antici valde magni et prominentes sunt, inter se contingentes; a lateralibus anticis, quibus circa triplo majores sunt, spatio sat magno (i. e. tubo basali oculi medii) sejuncti videntur, si desuper inspicitur cephalothorax, sed cum iis pæne contingentes sunt, si a fronte inspicitur; linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos parum sub margine superiore secat, si recte a fronte inspiciuntur hi oculi. Quadrangulus oculorum saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; evidenter latior est antice quam postice, circa $^1/_4$ latior antice quam longior, et dupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi seriei 2ᵃᵉ minuti; paullo longius ab oculis posticis (quibus saltem 10.plo minores sunt) quam a lateralibus anticis remoti videntur. Oculi postici lateralibus anticis non minores sunt, plus diametro sua altius quam ii positi; spatio paullo majore a marginibus cephalothoracis quam inter se distare videntur. *Sternum* saltem dimidio longius quam latius, inverse ovatum, coxis non parum latius; spatium inter coxas 1ⁱ paris labii latitudinem superat.

Mandibulæ deorsum directæ, parallelæ, sub-cylindratæ, saltem duplo longiores quam latiores, femora antica latitudine circiter æquantes, in dorso parum convexæ, pæne rectæ; sulcus unguicularis dentibus mediocribus antice 2, postice 1 armatus est. Unguis brevis, sat fortis. *Maxillæ* labio plus dimidio, non duplo, longiores, plus duplo longiores quam latiores; in angulo apicis exteriore denticulum minutum video. *Labium* multo longius quam latius, apice rotundatum. *Palpi* breves, clava femora antica latitudine circiter æquanti. Pars patellaris paullulo longior quam latior est, pars tibialis eâ non parum brevior et saltem non latior, sub-transversa; apex lateris ejus exterioris in spinam pæne rectam, basi latam, apicem versus sensim angustatam et sub-acuminatam, anteriora versus et paullo foras directam est productus, quæ in margine superiore paullo denticulata est et ipsam partem tibialem longitudine æquat. Pars tarsalis prioribus duabus partibus con-

junctis multo longior est et parte tibiali saltem duplo latior, sub-ovata, latere exteriore tamen parum rotundato et in medio sub-emarginato, interiore latere, præsertim basi, fortiter rotundato; bulbus parte tarsali fere duplo brevior, rotundatus, satis convexus. *Pedes* mediocres, ut videtur ita: III, IV, I, II longitudine se excipientes, 3^{ii} et 4^{i} parium, ut 1^{i} et 2^{i}, parum ad longitudinem inter se differentes; pedes 3^{ii} paris pedibus 4^{i} paris robustiores et paullulo longiores sunt, patella + tibia 4^{i} paris patellam + tibiam 3^{ii} paris longitudine paullulo superat (interdum modo æquat tamen!). Aculeis crebris sat fortibus armati sunt pedes: femora anteriora 8 aculeos habent, omnes patellæ utrinque aculeo præditæ sunt; tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeos habent, posteriores tibiæ saltem interdum etiam supra aculeo præditæ sunt. Metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos ostendunt; metatarsi postici non tantum apice sunt aculeati. *Abdomen* longum et angustum, sub-lanceolatum. *Mamillæ* longæ; art. 1^{s} superiorum saltem triplo longior quam latior est, art. 2^{s} conicus, acuminatus, æque circiter longus ac latus basi; mamillæ inferiores superioribus breviores et crassiores sunt, conico-cylindratæ, art. 1° brevissimo, obtuso.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fuscus est, macula nigra circum et apud utrumque oculum posticum aliaque apud (pone) oculum lateralem anticum, marginibusque nigris quoque; pube densa sericea pulchre ferruginea vel luteo-ferruginea tectus est, macula sat magna oblonga alba in medio inter oculos 4 posteriores notato, et vitta lata æquali fortiter procurva alba postice et in lateribus, supra, cinctus, hac vitta extremitatibus saltem sub oculis $2^{æ}$ seriei pertinenti, remanenti limbo laterali et postico sat late pube sub-ferruginea tecto; supra oculos medios anticos saltem in medio luteo-flavo-pubescens est margo frontalis, his oculis annulo angusto supra flaventi, præterea albicanti cinctis; maculam luteo-flavam apud oculum lateralem anticum, intus, video quoque; tota hæc pictura e pube sericea formata est. Clypeus pilis longis sat densis albis conspersus. *Sternum* testaceo-fuscum, parcius pallido-pilosum; *maxillæ* et *labium* picea; *mandibulæ* quoque piceæ vel nigricantes, in dorso versus basin pilis longioribus albis sparsæ. *Palpi* testaceo-fusci, ad maximam partem albo-pubescentes et -pilosi; *pedes* ejusdem coloris, femoribus saltem anterioribus apice plus minus late infuscatis, et tibiis in medio interdum late infuscatis quoque; pilis et pube sub-fuscis et albis minus dense vestiti et sub-annulati sunt pedes, aculeis nigris et fuscis armati. *Abdomen* in fundo supra fuscum est, pilis longis sub-erectis albicantibus sparsus et pube aureo-ferruginea ad maximam partem vestitum, hac pictura fundi albicanti et pube alba tecta: antice in dorso fasciam brevem (vel maculam longam) longitudinalem posteriora versus angustatam albam ostendit, maculamque hujus coloris plus minus evidentem utrinque ad apicem ejus posticum: posterius vero serie vittarum transversarum brevium paullo retro fractarum vel curvatarum, gradatim decrescentium albarum ornatum est, macula ultima, ad ipsum apicem dorsi sita, antice vitta brevi retro fracta nigra limitata. Latera abdominis inferius, cum lateribus ventris, pube albicanti vestita sunt; secundum medium venter plus minus late niger est, albicanti-pubescens. — Interdum (in exemplo detrito) abdomen in fundo magis testaceum est, maculis paucissimis nigris in duas series longitudinales secundum latera dorsi dispositis, et pone eas, versus anum, vittis vel lineolis paucissimis transversis retro fractis nigris notatum — ut plerumque in feminis saltem junioribus. *Mamillæ* fusco-testaceæ, superiores interdum nigricantes.

Femina præter palpis præsertim colore pallidiore a mare differt. *Cephalothorax* patellam + tibiam + dimidium metatarsi 1^{i} paris longitudine æquat, patellam + tibiam + $^{3}/_{4}$ metatarsi 4^{i} paris pæne æquans; paullo fortius anteriora versus angustatus est quam in mare, fronte non parum (circa $^{1}/_{3}$) angustiore quam est pars thoracica. Clypei altitudo dimidiam diametrum oculi maximi vix æquat. Quadrangulus *oculorum* modo paullulo latior est antice quam postice, vix $^{1}/_{4}$ latior quam longior, et saltem tripla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco; oculi seriei 2^{æ} non parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti sunt. *Mandibulæ* femoribus anticis paullo angustiores, pæne duplo longiores quam latiores, in dorso ad basin satis convexæ. *Maxillæ* apice extus æqualiter rotundatæ sunt. *Palpi* graciles; pars patellaris plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ longior et angustior, circa duplo et dimidio longior quam latior; pars tarsalis, cum parte tibiali arcte unita, cylindrata et apice obtusa est, prioribus duabus partibus conjunctis paullo brevior. *Pedes* fortiores quam in mare, 1^{i} paris præsertim sat fortes; pedes 3^{ii} paris ut in eo robustiores sed parum longiores sunt quam pedes 4^{i} paris; tibia cum patella 4^{i} paris (paullo longior quam tibia cum patella 3^{ii} paris) evidentissime longior est quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris! Patellæ anteriores aculeis carent, et tibiæ etiam posteriores aculeo supra carent; in tibiis anterioribus subter 2. 2. 2. aculeos video, antice 1. 1., postice vero modo 1 aculeum; præterea ut in mare aculeati videntur pedes. *Abdomen* post partum ut in eo angustum et lanceolatum fere est, ante partum magis fusiformi-ellipticum, posterius sensim angustato-acuminatum. *Vulva* parum conspicua: area vulvæ paullo convexa et nitida utrinque foveam ostendit, quæ foveæ in medio nigræ sunt, spatio diametro sua paullo majore sejunctæ et paullo ante rimam genitalem sitæ.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ut in mare testaceo-fuscus vel fuscus est, pictura tamen alia. Area inter-ocularis figuram magnam sub-fenestratam e pube densa alba formatam ostendit (præterea pube tenui sub-ferruginea vestita): margo frontalis enim fascia transversa inæquali alba occupatur, et paullo ante oculos posticos alia linea vel fascia transversa alba conspicitur, quæ in medio macula vel lineola longitudinali alba decussata videtur, et cujus extremitates deorsum (ante oculos posticos) productæ sunt: hæ fasciæ transversæ lineis duabus longitudinalibus parallelis albis paullo intra oculos laterales ductis conjunctæ sunt, cum iis aream fere quadratam includentes. Oculi postici arcu albo postice circumdati sunt, annuli circum oculos anticos albi; clypeus (ut mandibulæ ad basin) pilis albis sparsus est, et etiam latera partis cephalicæ supra pube alba minus densa sunt vestita: præterea cephalothorax modo parcius albicanti-pubescens et -pilosus videtur. *Mandibulæ* testaceo-fuscæ, versus basin magis piceæ; *sternum*, *maxillæ* et *labium* fusco-testacea. *Palpi* flaventes, pilis longioribus patentibus, in lateribus albis, supra vero nigris sat dense conspersi. *Pedes* fusco-testacei (1^{i} paris obscuriores, testaceo-fusci vel fusci), minus dense albicanti-pilosi, aculeis fuscis vel nigris. *Abdomen* in fundo sub-testaceum est, lineolis paucis transversis retro fractis nigris supra anum et macula una alterave nigra ante eas utrinque, ad latera, notatum. Linea alba e pube formata utrinque limitatur dorsum, inter eas pube luteo- vel aureo-fusca vestitum, et lineis paucis transversis parvis retro fractis albis supra anum, cum duabus tribusve ejusmodi lineis vel vittis nigris alternantibus, notatum: secundum medium dorsi linea tenuis gracilis alba e pube formata plerumque

conspicitur, quæ utrinque anterius ramum obliquum unum alterumve plus minus evidentem emittit. Latera et venter pube tenui alba vestita sunt: venter vestigia lineæ mediæ longitudinalis nigræ ostendit, summo apice nigro. *Mamillæ* fusco-testaceæ.

Interdum abdomen totum sub-testaceum est, modo utrinque in dorso, versus latera posterius, maculis paucis nigris in seriem longitudinalem ordinatis notatum; posticæ harum macularum plerumque binæ in vittas breves transversas retro fractas sunt unitæ. — *Juniores* pæne totæ flavo-testaceæ sunt, serie macularum paucarum nigrarum utrinque in dorso abdominis.

♂. — Lg. corp. $8^2/_3$; lg. cephaloth. paullo plus $3^1/_2$, lat. ej. paullo plus $2^1/_2$, lat. front. pæne $2^1/_2$; lg. abd. 5, lat. ej. $1^1/_2$ millim. Ped. I $7^1/_4$, II circa $7^1/_4$, III $9^1/_3$, IV $9^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. III paullo plus $2^1/_2$, pat. + tib. IV pæne $2^2/_3$, metat. + tars. IV pæne 3 millim.

♀. — Lg. corp. $11^1/_2$; lg. cephaloth. $4^1/_2$, lat. ej. pæne $3^1/_2$, lat. front. $2^1/_2$; lg. abd. $6^1/_2$, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I $9^1/_4$, II $8^3/_4$, III $10^1/_4$, IV pæne $10^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. III $3^1/_2$, pat. + tib. IV $3^3/_4$, metat. + tars. IV pæne $3^1/_2$ millim.

Exempla pauca adulta et juniora in ins. Nanchovry, Terressa, Kamorta et Sambelong capta (G.) examinavi. Generis *Telamoniæ* videtur hæc species, quamquam pedes 3^{ii} paris non paullo breviores, sed potius paullo longiores quam pedes 4^{i} paris habet.

Gen. **Megatimus,**[1] N.

Cephalothorax altus et crassus, non multo longus, anterius lateribus fortiter rotundatis sub-dilatatus et anteriora versus citius angustatus, dorso ante oculos posticos modice proclivi, declivitate postica sat leni; altitudo clypei $^1/_3$ diametri oculi maximi circiter æquat.

Quadrangulus oculorum brevis, vix $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupans, multo latior quam longior et multo latior postice quam antice, non parum angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum antica sat fortiter sursum curvata; oculi medii antici a lateralibus anticis spatio sat magno separati. Oculi $2^{æ}$ seriei multo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distantes; oculi postici saltem æque longe a margine cephalothoracis atque inter se remoti.

Sternum sub-ovatum, coxis vix vel non latius; spatium inter coxas 1^{i} paris labii latitudinem vix vel non æquat.

Mandibulæ (saltem in ♀) deorsum directæ, parallelæ, fortes.

Pedes robusti, in ♀ ita: IV, I, II, III (vel III, II) longitudine se excipientes, parcius aculeati; pedes 1^{i} paris robustissimi sunt, pedes 4^{i} paris pedibus 3^{ii} paris multo longiores; tibia cum patella 4^{i} paris tibiam cum patella 3^{ii} paris (et metatarsum cum tarso 4^{i} paris) longitudine superat.

Abdomen sub-ovatum; mamillæ mediocres.

Typus: *M. severus*, N.

---

[1] Μεγάτιμος, nom. propr. pers.

Generibus *Thyenæ*, Sim., et *Mogro*, id., hoc genus novum affine est, a *Thyene* tibia cum patella 4^{i} paris tibiam cum patella 3^{ii} paris longitudine multo superanti, cephalothorace antice modice (non prærupte) proclivi et declivitate postica multo minus prærupta præsertim distinguendum; a *Mogro* serie oculorum antica fortiter sursum curvata, oculis seriei $2^{æ}$ multo (plus duplo) longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis, pedibus 4^{i} paris pedes 3^{ii} paris longitudine multo superantibus, cet., facile distingui potest.

89. ***M. severus***, n., *niger pæne totus, cephalothorace fascia brevi lata alba in utroque latere partis thoracicæ notato; pedibus præsertim anterioribus pilis longis densis nigris, intermixtis albis, hirsutis, albo-pubescentibus et apice paullo albo-annulatis; abdominis dorso macula media sub-triangula albissima et utrinque pone eam lineola parva transversa alba ornato; dorso mandibularum æneo-viridi vel sub-cupreo.* — ♀ *ad. Long. circa* $11^{1}/_{2}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circiter æque longus est ac patella + tibia + $^{3}/_{4}$ metatarsi 4^{i} paris, patellam + tibiam + dimidium metatarsum 1^{i} paris longitudine æquans, pæne $^{1}/_{3}$ longior quam latior, ab oculis posticis ad oculos laterales anticos lateribus fortiter rotundatis sensim fortiter angustatus, pone oculos illos (secundum maximam longitudinis partem igitur) lateribus primum fortiter, præterea sat leviter rotundatis posteriora versus sensim non parum angustatus, latitudine maxima paullo ante medium; postice sat late truncatus et sub-emarginatus est ibique parum angustior quam antice, ubi modo levissime est rotundatus, pæne truncatus; latitudo frontis $^{2}/_{3}$ latitudinis maximæ cephalothoracis æquat. Altus est cephalothorax, parte cephalica transversim plana: a latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos leviter proclive et pæne rectum est, pone hos oculos (qui paullo pone medium dorsi ipsius et alte positi sunt) leviter declive, posterius paullo convexum et in declivitatem posticam dimidio reliqui (ipsius) dorsi longiorem, paullulo concavatam et sat leviter declivem sine limite transiens. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat fortes sunt; in medio paullo pone hos oculos impressio non magna sed sat profunda conspicitur (sulcus ordinarius centralis obsoletus est); impressiones ante et pone oculos $2^{æ}$ seriei parum expressæ. Clypei altitudo vix $^{1}/_{3}$ diametri oculi maximi æquat. Quadrangulus *oculorum* brevis, vix $^{1}/_{3}$ longitudinis cephalothoracis occupans; multo, circa $^{1}/_{4}$, latior est postice quam antice, et plus dimidio latior postice quam longior; postice saltem tripla, pæne quadrupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum sat fortiter sursum curvata est: linea recta medios horum oculorum supra tangens laterales fere in centro secat. Oculi medii antici parvi sunt dicendi, spatio evidenti separati et ab oculis lateralibus anticis, quibus plus duplo majores sunt, spatio magno, horum dimidiam diametrum æquanti, sejuncti. Oculi seriei $2^{æ}$ minuti plus duplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti sunt. Oculi postici, lateralibus anticis vix minores, paullo longius a margine cephalothoracis quam inter se distant. *Sternum* parvum, inverse ovatum, coxis saltem anticis angustius, paullo convexum, nitidum; spatium inter coxas 1^{i} paris labii latitudinem non æquat.

Mandibulæ directæ, parallelæ, fortes, latæ, patellas anticas longitudine æquantes iisque multo latiores, pæne duplo longiores quam latiores, in latere exteriore ad longitudinem leviter rotundatæ, in dorso ad longitudinem modo leviter convexæ, transversim pæne planæ, excepto intus, ubi dorsum a vicinitate basceos usque ad apicem magis magisque convexum evadit et ita sensim paullo angustatum; in dorso crasse rugosæ sunt man-

dibulæ, nitidissimæ et, excepto intus, glabræ. Sulcus unguicularis postice dente singulo, antice, intus, 2 dentibus est armatus; unguis mediocris. *Maxillæ* paullo divaricantes, apicem versus sensim fortiter dilatatæ, fere duplo longiores quam latiores ad apicem, labio pæne duplo longiores; *labium* non parum longius quam latius, apicem late rotundatum versus non multo angustatum. *Palpi* graciles, versus apicem paullo incrassati; pars patellaris pæne dimidio longior est quam latior, pars tibialis plus dimidio, pæne duplo longior quam latior; pars tarsalis etiam, et non parum, longior, obtusissima. *Pedes* mediocri longitudine, robusti, anteriores, præsertim 1^{i} paris, robustissimi; pedes 4^{i} paris non tantum multo longiores sunt quam pedes 3^{ii} paris, sed iis paullo robustiores quoque. Tibia 4^{i} paris patellà non parum longior est, reliquæ tibiæ patellà vix vel non longiores. Metatarsus 1^{i} paris tibià multo (versus apicem duplo, a latere visus plus duplo) angustior est eàque paullo brevior; tarsus metatarso plus duplo brevior est, plus duplo longior quam latior. Tarsi saltem anteriores scopula densa sunt præditi. Aculei pauci, præsertim in pedibus anterioribus difficiles visu, pilis densis plus minus absconditi. Femora anteriora ad apicem superius 3 aculeos habent; femora posteriora præter aculeos apicales aculeos 2—3 longos fere setiformes supra ostendunt. Patellæ aculeis carere videntur; in latere interiore tibiarum 2^{i} paris aculeum video: præterea tibiæ anteriores modo subter aculeatæ sunt, ibi serie aculeorum 2—3 saltem præditæ. Metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos fortes habent; metatarsi posteriores modo apice aculeati sunt. *Abdomen* inverse sub-ovatum, antice modo leviter rotundatum, postice lateribus leviter rotundatis sensim sat fortiter angustatum et sub-acuminatum. *Vulva* ex fovea parva sub-oblonga fusca constare videtur. *Mamillæ* mediocres, art. 2° superiorum brevissimo (non exserto).

Color. — Totum corpus nigerrimum est, his exceptis. *Cephalothorax*, qui pilis nigris, præsertim anterius longis, densius sparsus et sub-hirsutus est (pilis ante utrumque oculum posticum penicillum gracilem non densum formantibus), in utroque latere partis thoracicæ, superius, fasciam longitudinalem brevem latam e pube alba minus densa formatam ostendit: hæ duæ fasciæ, anteriora versus divaricantes, postice abbreviatæ sunt et spatio magno separatæ. Clypeus pilos paucos longos porrectos nigros ostendit; præterea parcius nigro- et sub-cinerascenti-pubescens est facies, præsertim circum oculos medios anticos et inter eos et laterales anticos cinerascenti-pubescens. *Sternum* nigro-pilosum. *Mandibulæ* nigræ, æneum colorem sentientes, dorso, marginibus exceptis, æneo-viridi vel cupreo. *Palpi*, præsertim in lateribus pilis longis albis et nigris minus dense vestiti, supra saltem in basi et apice internodiorum paullo albo-pubescentes sunt, parte tarsali apice late, dense et longius nigro-pubescenti. *Pedes* præsertim anteriores subter et in lateribus pilis longis nigris, intermixtis albis, hirsuti sunt, his pilis præsertim subter in pedibus 1^{i} paris longis, densis et nigris, pilis albis subter ad basin patellarum, metatarsorum et tarsorum maculam vel vittam transversam formantibus (metatarsi et tarsi saltem anteriores annulo basali albo sunt cincti); supra minus dense et longe nigro-pilosi sunt pedes et ad partem pube alba vestiti. Tibiæ, metatarsi et tarsi pedum posteriorum in fundo versus basin magis picea videntur. *Abdomen* nigro-pilosum et -pubescens in medio dorso macula minore sub-triangula albissima e pube densa et pilis paucis formata est notatum, et utrinque in dorso, fere in medio inter eam et anum, lineola vel macula transversa sub-obliqua minuta alba; quæ lineolæ cum macula illa media triangulum formant.

Venter niger pone rimam genitalem utrinque fasciam brevem postice abbreviatam albam ostendit; in apice ventris vestigia macularum duarum parvarum albarum video. *Mamillæ* nigræ.

Lg. corp. $11^1/_2$; lg. cephaloth. pæne 6, lat. ej. $4^1/_2$, lat. front. 3; lg. abd. $6^1/_2$, lat. ej. $4^1/_2$ millim. Ped. I $11^1/_2$, II $9^1/_2$, III $9^1/_2$, IV $12^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. I parum plus 5, pat. + tib. III $3^1/_4$, pat. + tib. IV paullo plus 4, metat. + tars. IV $3^1/_2$ millim.

Exemplum singulum insignis hujus speciei, quæ ad colorem *Hyllo lacertoso* (C. L. Koch) simillima est, a Cel. Workman in ins. Pinang est inventum.

Gen. **Colyttus,**[1] n.

Cephalothorax altus, crassus et sat brevis, lateribus in medio fere rectis et parallelis, antice vero (breviore spatio) et posterius fortius rotundatis anteriora et posteriora versus angustatus, ante oculos posticos modice proclivis, declivitate postica prærupta et longa; clypeo sat humili.

Quadrangulus oculorum, saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupans, fere $^1/_4$ latior est quam longior, et parum latior antice quam postice, ubi saltem dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum, qui magni et conferti sunt, modice sursum est curvata; oculi minuti seriei $2^{æ}$ fere in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos locati sunt, oculi postici magni paullo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti.

Sternum oblongum, coxis latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem saltem æquat.

Mandibulæ parallelæ, directæ, robustæ.

Maxillæ parallelæ, sub-ovatæ, labio circa dimidio longiores; labium non parum longius quam latius, apicem versus non multo angustatum.

Pedes breviores, modice robusti, saltem in femina ita: III, IV, I, II longitudine se excipientes, aculeis crebris armati; tibia cum patella 3^{ii} paris tibiam cum patella 4^i paris longitudine superat. Metatarsus cum tarso 4^i paris tibia cum patella ejusdem paris vix vel non longior est.

Abdomen ovatum; mamillæ mediocres.

Typus: *C. bilineatus*, n.

Hoc genus ad formam cephalothoracis *Megatimo*, n., satis affine est, cephalothorace breviore, quadrangulo oculorum postice non latiore quam antice et saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupanti, tibia cum patella 3^{ii} paris tibiam cum patella 4^i paris longitudine superanti, cet., ut mihi videtur ab eo ut ab *Hyllo*, *Thyene*, *Mogro* non difficulter distinguendum.

90. ***C. bilineatus***, n., *cephalothorace fusco-testaceo, parte cephalica supra nigra et pube flava munita, quæ lineam mediam longitudinalem, lineam recurvam frontalem, lineam bis procurvam pone oculos posticos sitam et lineolam transversam ante utrumque horum*

[1] Nom. propr. pers. mythol.

oculorum format, oculis plerisque annulo flavo cinctis quoque; mandibulis testaceo-fuscis; sterno, maxillis, labio palpis et pedibus pallide fusco- vel luteo-testaceis; abdomine in fundo sub-olivaceo-cinerascenti, lineis duabus longitudinalibus parallelis nigris secundum medium dorsi notato, supra pube flava munito, subter albo-pubescenti. — ♀ *ad. Long. circa* $7^1/_4$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* patellam + tibiam + $^3/_4$ metatarsi 4^i paris longitudine fere æquat, vix $^1/_4$ longior quam latior; ante oculos posticos utrinque usque ad laterales anticos lateribus rotundatis cito et non parum angustatus est, lateribus præterea pæne rectis et parallelis, excepto posterius, ubi cephalothorax lateribus fortiter rotundatis posteriora versus sat fortiter angustatus est et pæne semi-circulatus, in medio postice minus late truncatus. Frons modice rotundata; latitudo ejus $^4/_5$ latitudinis maximæ cephalothoracis circiter æquat. Altus est cephalothorax, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos (qui longe pone medium dorsi ipsius locum tenent) modice proclivi et pæne recto, pone hos oculos eodem modo declivi, paullo convexo et in declivitatem posticam longam, rectam et valde præruptam sensim transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat fortes sunt, impressiones ante et pone oculos $2^{æ}$ seriei fortes; paullo pone oculos posticos impressio media transversa recurva adest, a qua sulcus ordinarius centralis brevis et tenuissimus retro ductus est. Præterea lævis et nitidus est cephalothorax. Clypei veri altitudo vix $^1/_4$ diametri oculi maximi æquat. *Oculi*, $2^{æ}$ seriei minutis exceptis, magni sunt; oculi antici conferti, medii eorum lateralibus pæne plus duplo majores; oculi postici lateralibus anticis parum minores sunt. Quadrangulus oculorum paullo plus $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat: pæne æque latus est postice atque antice (saltem non latior postice quam antice) et fere $^1/_4$ latior quam longior; postice saltem dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos non parum sub margine superiore secat. Oculi $2^{æ}$ seriei vix vel parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici paullo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* breviter et inverse ovatum fere, antice truncatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem non parum superat.

Mandibulæ directæ, parallelæ, robustæ, patellis anticis non parum longiores et saltem dimidio latiores, pæne duplo longiores quam latiores, in latere exteriore convexo-arcuatæ, præterea a fronte visæ sub-cylindratæ, in dorso versus basin fortiter convexæ; nitidissimæ sunt, læves, parcissime pilosæ. Sulcus unguicularis antice 2 dentibus, postice dente singulo est armatus; unguis mediocris. *Maxillæ* parallelæ, sub-ovatæ, duplo longiores quam latiores, labio dimidio longiores; *labium* plus dimidio longius quam latius, lateribus pæne parallelis, apice rotundato. *Palpi* mediocres, non valde obtusi. *Pedes* breves, non multo robusti, anteriores posterioribus modo paullo robustiores. Pedes 4^i paris pedibus 3^{ii} paris paullo graciliores sunt; patellæ omnes tibiâ breviores, patella 4^i paris tibiâ circa dimidio brevior. Aculeis crebris mediocribus armati sunt pedes, parcius pilosi et pubescentes. In femoribus anterioribus, e. gr., 6 aculeos video; patellæ omnes aculeo utrinque sunt muniti, tibiæ et metatarsi posteriores etiam supra aculeum ostendunt. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos habent, metatarsi anteriores 2. 2. subter, 1. 1. antice et postice. Metatarsi 3^{ii} paris apice et basi, 4^i paris præterea in medio aculeati sunt. *Abdomen* ovatum, postice sub-acuminatum. *Vulva* parva, parum conspicua:

quum in spiritu vini immersa est aranea, prope rimam genitalem annulos duos minutos fuscos, spatio sat magno separatos format, ante quos area pallida sat magna conspicitur, quæ linea longitudinali in duas partes, favis similes, divisa est.

Color. — *Cephalothoraxæ* in fundo fusco-testaceus est, parce nigro-pilosus, parte cephalica tota supra nigra; pube flava est munitus, quæ in nostro exemplo antice lineam frontalem retro curvatam vel fractam format, postice vero lineam transversam bis procurvam paullo pone oculos posticos locatam; porro lineolam transversam ante utrumque horum oculorum sitam, quæ apice exteriore retro circum hunc oculum curvatur et cum apice lineæ illius bis procurvæ unita est; denique lineam mediam longitudinalem, postice ad lineam illam pertinentem. Annuli circum oculos anticos superius flavi, inferius albi. *Mandibulæ* testaceo-fuscæ; *sternum, maxillæ, labium, palpi* et *pedes* pallide fusco- vel luteo-testacea, parce nigro-pilosa; aculei pedum nigri. *Abdomen* in fundo olivaceo- vel nigricanti-cinereum, supra lineis duabus longitudinalibus parallelis nigris, antice posticeque paullo abbreviatis et spatio circa $^1/_3$ latitudinis dorsi æquanti separatis notatum; pube flava in dorso et in lateribus, superius, est munitum (vestitum, vel hac pube fascias longitudinales formanti?). Inferius abdomen albo-pubescens est. *Mamillæ* cinereo-testaceæ.

Lg. corp. $7^1/_4$; lg. cephaloth. parum plus 3, lat. ej. $2^1/_2$, lat. front. 2; lg. abd. 4, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I 7, II $6^3/_4$, III 8, IV $7^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. I $2^1/_2$, pat. + tib. III $2^2/_3$, pat. + tib. IV $2^1/_4$; metat. + tars. IV $2^1/_4$ millim.

Feminam singulam detritam a Cel. Workman in Pinang captam examinavi.

Gen. **Thyene**, Sim., 1885.

91. ***Th. imperialis*** (W. Rossi).

Syn.: 1846. *Salticus imperialis*, W. Rossi, Neue Arten v. Arachn. d. K. K. Museums, *cet.*, *in* Naturwissensch. Abhandl. herausgegeben von Haidinger, I, p. 2.

Feminam adultam hujus speciei, per magnam partem Asiæ meridionalis, Africæ et Europæ meridionalis diffusæ, in ins. Philippinis, ad Manilam, captam vidi (G.).

Gen. **Plexippus** (C. L. Koch), 1846.

92. ***P. Paykullii*** (Aud. in Sav.).

Syn.: 1827 (?). *Attus Paykullii*, Aud., *in* Sav., Descr. de l'Égypte, 2e Éd., XXII, p. 172, Pl. 7, fig. 22.

Exemplum femineum adultum ad Tjadé (Atjeh) Sumatræ a D:re Klein inventum examinavi. — *P. Paykullii* species est per magnam partem Australiæ, Asiæ et Africæ distributa et etiam in Europa locis nonnullis inventa.

93. ***P. culicivorus*** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus culicivorus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 14, Tab. IX, fig. 5.

Etiam hujus speciei, quæ non tantum multis locis Asiæ meridionalis, verum etiam in Amboina vitam degit, feminam adultam in Sumatra, ad Padang, cepit D:r Klein; Cel. Workmann eam in ins. Singapore invenit.

Gen. **Euophrys** (C. L. Koch), 1834.

94. ***E. pygæa***, n., *cephalothorace satis humili, nigro, sat dense flaventi-pubescenti, annulis circum oculos et pilis pubeque clypei flaventibus quoque; quadrangulo oculorum parum latiore antice quam postice; pedibus testaceo-fuscis, nigro-annulatis, metatarsis tarsisque flaventibus, tibiis anticis incrassatis, sub-cylindratis et fere duplo longioribus quam latioribus, ad maximam partem nigris; abdomine sub-depresso, nigricanti, postice linea transversa sub-undulata cinereo-testacea utrinque deorsum ad ventrem continuata et aream supra-analem nigram includenti, ante eam vero fascia media inæquali cinereo-testacea (vel lineis duabus parallelis), a basi dorsi retro ducta et postice serie macularum 2—3 retro fractarum continuata notato, et utrinque in dorso lineolis vel maculis 2—3 transversis ejusdem coloris. — ♀ ad. Long. circa $4^1/_5$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* pæne æque longus est ac patella + tibia + metatarsus + arsus 4^i paris, circa dimidio longior quam latior, lateribus modo leviter rotundatis ante oculos posticos anteriora versus leviter angustatus, pone eos paullo fortius posteriora versus angustatus, lateribus ad angulos posticos cum iis fortius rotundatis; postice in medio emarginatus est, antice leviter rotundatus, ibi non dimidio latior quam postice et modo paullo angustior quam apud oculos posticos. Sat humilis est cephalothorax, dorso ipso pæne plano, a latere viso modo paullulo convexo, ante oculos posticos (qui parum pone medium dorsi ipsius locum tenent) præsertim antice paullo proclivi et paullo convexo, pone hos oculos paullulo humiliori, vix declivi, pæne recto et in declivitatem posticam valde præruptam, rectam et ipso dorso duplo breviorem abrupte transeunti. In medio inter et parum pone oculos posticos foveam parvam rotundatam, quæ sulcum centralem minutissimum continet, ostendit cephalothorax; in declivitate postica sulco medio longitudinali tenuissimo longo præterea præditus est, aliis impressionibus, ut arcubus supraciliaribus, carens. Latera sub oculis posticis pæne directa et sat fortiter convexa sunt; clypei reclinati altitudo $^1/_3$ diametri oculi maximi circiter æquat. Quadrangulus *oculorum* plus $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, parum latior antice quam postice (saltem non latior postice quam antice), et plus singula, pæne dupla diametro oculi postici angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi antici magni, conferti, medii lateralibus pæne duplo majores; linea recta medios supra tangens laterales vix tangit, non secat. Oculi $2^{æ}$ seriei parvi paullulo longius a lateralibus anticis quam a posticis oculis distant; oculi postici magni, sed lateralibus anticis minores, non parum longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem æquat.

Mandibulæ parvæ, retractæ, vix dimidio longiores quam latiores, latere exteriore convexo-arcuato, interiore recto, apice late et parum oblique truncato, dorso modice convexo, nitido, subtiliter granuloso-rugoso, parce piloso; sulcus ungicularis antice intus duobus dentibus armatus est, postice quoque duobus dentibus (vel potius dente singulo forti

in duos diviso). Unguis parvus. *Maxillæ* parallelæ, latæ, non multo longiores quam latiores et labio saltem duplo longiores; *labium* paullo latius quam longius videtur, apice late rotundatum. *Palpi* robusti; pars patellaris vix dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà paullo brevior et parum latior, paullulo longior quam latior; pars tarsalis parte tibiali saltem dimidio longior est, a basi ad apicem sensim angustata. *Pedes* brevissimi, modice robusti, 1^{i} paris reliquis non parum robustiores, quum tibias et patellas incrassatas habeant, tibias pæne cylindratas, vix duplo longiores quam latiores et subter paullo densius pilosas, metatarsos tibià pæne duplo angustiores; pedes 4^{i} paris reliquis paullo longiores sunt, vix vel parum graciliores quam pedes 3^{ii} paris; patella 3^{ii} paris tamen paullulo crassior est quam patella 4^{i} paris, eam longitudine æquans, tibia vero 4^{i} paris non parum longior quam et æque robusta ac tibia 3^{ii} paris. Tibia cum patella 4^{i} paris igitur non parum longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris, paullulo longior quoque quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris. Tibia 4^{i} paris patellà non parum longior est, reliquæ tibiæ patellà vix vel non longiores. Aculeis gracilibus paucioribus armati sunt pedes. Omnia femora aculeis paucis prædita sunt, patellæ modo posteriores aculeum utrinque habent; supra tibiæ aculeo carent; tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos ostendunt; metatarsi 4^{i} paris modo apice, metatarsi 3^{ii} paris basi et apice aculeati sunt. *Abdomen* sub-depressum, breviter et inverse ovatum, antice rotundato-truncatum, postice breviter acuminatum. *Vulva* ex area postice rotundata constare videtur: hæc area anterius foveolas duas, quæ postice suo quæque callo procurvo fusco limitantur, continet.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, vestigiis vittæ transversæ latæ piceæ pone oculos; pube crassiore et longiore luteo-flava ad maximam partem sparsus (vestitus?) est, margine laterali albicanti-pubescenti, annulis circum oculos anticos supra luteis, infra pallidioribus, clypeo in margine pilis longis sat densis luteo-flavis munito et etiam sub oculis lateralibus anticis luteo-flavo-pubescenti. *Sternum* fuscum, cinereo-albo-pilosum. *Mandibulæ* nigræ; *maxillæ* et *labium* fusca. *Palpi* testaceo-fusci, parte tibiali picea, tarsali piceo-nigra, præsertim in latere interiore densius nigro-pilosa; etiam præterea, sed minus dense, nigro-pilosi sunt palpi. *Pedes* testaceo-fusci, nigro-annulati, metatarsis tarsisque flavo-testaceis: femora apice supra et patellæ utrinque ad apicem plus minus evidenter nigra sunt, tibiæ anteriores basi excepta nigræ, posteriores patellæ apice late nigræ, metatarsi apice minus late nigri. Minus dense nigro- et pallido-pilosi sunt pedes, flavo-pubescentes, aculeis nigris. *Abdomen* supra flaventi-pubescens et in fundo nigricans est, hac pictura cinereo-testacea: secundum medium fasciam sat latam, a basi dorsi fere ad $^{2}/_{3}$ vel $^{3}/_{4}$ longitudinis ejus pertinentem, in marginibus inæqualem vel crasse sub-denticulatam ostendit, quæ postice serie macularum minorum 2—3 retro fractarum, non usque ad anum pertinenti, continuatur: utrinque apud hanc fasciam 3—4 vittæ breves vel maculæ transversæ conspiciuntur, quarum duæ primæ paullo ante medium dorsi et laterum locum tenent, duæ ultimæ vero, supra anum sitæ, in lineam transversam undulatam unitæ sunt: hæc linea, quæ utrinque deorsum usque in ventrem continuatur et apices in maculam dilatatos habet, aream sub-transversam supra-analem nigerrimam, mamillas infra includentes, limitat. Latera abdominis pallido-variata quoque sunt, venter totus fusco- vel ferrugineo-cinereus. *Mamillæ* nigræ, saltem apice flaventes.

In exemplo juniore loco fasciæ mediæ abdominis lineas duas parallelas sub-testaceas video: in eo femora etiam basi subter nigra sunt.

Lg. corp. $4^1/_5$; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. $1^1/_2$, lat. front. pæne $1^1/_2$; lg. abd. $2^1/_2$, lat. ej. paullo plus $1^1/_2$ millim. Ped. I 3, II pæne 3, III paullo plus 3, IV $3^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. III pæne 1, pat. + tib. IV paullo plus 1, metat. + tars. IV 1 millim.

Exemplum femineum supra descriptum aliudque junius in ins. Pinang invenit Cel. Workman. — Area supra-anali nigra hæc species cum *Homalatto anali*, Thor., similitudinem quandam habet. Ad *Euophryem* eam refero, quamquam patellas posteriores aculeatas habet, et tibias 4^i paris, ut mihi quidem videtur, plane cylindratas. Conf. Simon, Les Arachn. de France, pp. 5 et 171.

Gen. **Spartæus,** [1] n.

Cephalothorax circa dimidio longior quam latior, in lateribus sat leviter rotundatus, anteriora versus non multo angustatus, altissimus, ante oculos posticos admodum proclivis, ab his oculis usque ad marginem posticum præruptius declivis, inter oculos posticos impressus, sulco ordinario centrali longo et profundo.

Oculi magni; quadrangulus oculorum, circa $^2/_5$ (non dimidium) longitudinis cephalothoracis occupans, latior est antice quam postice, paullo latior quam longior, et non parum angustior postice quam cephalothorax eoden loco. Series oculorum antica modice sursum curvata est, oculis mediis a lateralibus, qui angulos frontis occupant, modo spatio minuto sejunctis. Oculi $2^{æ}$ seriei solito majores, oculis lateralibus anticis duplo-triplo minores tamen, minus longe ab iis quam a posticis oculis remoti. Oculi postici non parum longius a margine cephalothoracis quam inter se distant.

Mandibulæ angustiores, deorsum et plus minus anteriora versus directæ.

Maxillæ divaricantes, angustæ, labio circa triplo longiores.

Pedes graciles, sat longi, saltem in mare ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes; tibia cum patella 4^i paris longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris, sed brevior quam metatarsus cum tarso 4^i paris. Patellæ aculeis carent, ut tibiæ supra; tibiæ et metatarsi anteriores subter aculeis longioribus appressis non paucis armati sunt (reliqui pedum aculei sat breves); metatarsi posteriores non tantum apice aculeati.

Abdomen longius; mamillæ sat longæ, superiores inferioribus longiores et angustiores, art. 2° conico et æque circiter longo ac lato ad basin.

Typus: *S. gracilis*, n.

Cocalo (C. L. Koch), nob., hoc genus quam maxime affine est, serie oculorum antica fortius sursum curvata (linea recta oculos medios supra tangens laterales anticos secat) et tibiis supra aculeis carentibus præsertim a *Cocalo* differens. Ut *Cocalus* et *Linus*, Peckh., oculis $2^{æ}$ seriei solito majoribus notabilis est *Spartæus*.

95. ***S. gracilis,*** n., *cephalothorace fusco, pube cinereo-fusca vestito et fasciis duabus longitudinalibus nigris pone oculos posticos notato; abdomine in fundo sub-olivaceo-fusco,*

[1] Σπαρταῖος, nom. propr. pers. mythol.

maculis nigris sparso, supra pube tenui sub-cupreo-fusca tecto; pedibus fusco-testaceis, ad longitudinem nigro-fasciatis, metatarsis 1ⁱ paris vero flavis; palpis sat brevibus, parte tibiali extus procursu compresso lamelli-formi munita. — ♂ *ad. Long. circa* $6^2/_3$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* fere dimidio longior cum latior, tibiam 1ⁱ paris longitudine saltem æquans, et parum brevior quam tibia cum patella 4ⁱ paris, lateribus ante oculos posticos pæne rectis et parallelis anteriora versus parum angustatus, lateribus posterius modice rotundatis posteriora versus paullo magis angustatus, in medio postice paullo emarginatus; frons leviter rotundata est, latitudine fere $^4/_5$ latitudinis maximæ cephalothoracis æquans. Altissimus est cephalothorax, dorso a latere viso ab oculis posticis ad oculos anticos fortiter proclivi et recto, ab oculis posticis ad marginem posticum sat prærupte declivi et ad maximam partem (posterius) paullo convexo, hac declivitate reliquo dorso circà dimidio longiore; clypeus verus sub oculis mediis anticis multo prominentibus paullo reclinatus est, altitudine vix $^1/_4$ diametri oculi medii antici æquans (cum membrana, qua mandibulis unitus est clypeus, dimidiam diametrum oculi illius altitudine pæne æquat). Arcus supra-ciliares oculorum posticorum fortes sunt; inter hos oculos late impressus vel sub-excavatus est cephalothorax, hac impressione in fundo, posterius, sulco longo forti retro producto prædita. Neque ante nec pone oculum 2ᵉ seriei tuberculum ullum video. *Oculi* maximi; quadrangulus eorum paullo plus $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat: non parum latior est antice quam postice, et æque fere longus ac latus postice, evidentissime brevior quam latior antice; postice saltem dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi antici in seriem sat fortiter sursum curvatam dispositi sunt: linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos sub margine superiore secat (si recte a fronte inspicitur cephalothorax). Oculi medii antici contingentes sunt inter se et a lateralibus anticis, quibus plus duplo sunt majores, spatio modo minuto separati. Oculi 2ᵉ seriei prominentes, magni sed lateralibus anticis plus duplo, pæne triplo minores, et paullo longius ab oculis posticis quam ab iis remoti: magis intus positi sunt, ita ut oculi tres utriusque lateris seriem sat fortiter foras curvatam forment, si desuper inspicitur cephalothorax. Oculi postici laterales anticos magnitudine pæne æquant, plus diametro sua altius quam ii positi; multo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* coxis pæne duplo latius, breviter elliptico-ovatum fere, apice postico obtuso; spatium inter coxas 1ⁱ paris labii latitudine multo majus est.

Mandibulæ deorsum et paullo anteriora versus directæ, paullo divaricantes, pæne rectæ, in latere exteriore modo levissime sinuatæ, in latere interiore a basi ad medium rectæ, dein vero sensim angustatæ (sive apice intus latissime et valde oblique truncatæ); sub-cylindratæ sunt, (dorso recto tamen versus apicem, intus, sub-deplanato), saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, patellas 1ⁱ paris longitudine, femora hujus paris crassitie fere æquantes; læves sunt, minus nitidæ, pilis non densis sparsæ. Sulcus unguicularis in margine antico seriem dentium 5 majorum habet, in margine postico vero seriem dentium minutissimorum 6. Unguis sat longus et fortis, modice incurvus. *Maxillæ* divaricantes, apicem rotundatum versus vix vel parum dilatatæ, labio pæne triplo longiores et pæne triplo longiores quam latiores, intus dense ciliatæ; *labium* parum longius quam latius, apice latissime et fortiter rotundatum. *Palpi* mediocres, clava magna, femoribus 1ⁱ paris

fere duplo latiore. Pars patellaris pæne dimidio longior est quam latior; pars tibialis parte patellari non parum brevior sed paullulo latior est, æque saltem lata ac longa: ad basin lateris exterioris procursu pallido foras et anteriora versus directo est munita, qui fortiter compressus est, lamellam a basi angusta ad apicem oblique et latissime rotundato-truncatum sensim dilatatam quasi formans. Pars tarsalis parte tibiali saltem duplo latior est, prioribus duabus partibus conjunctis non parum longior, vix duplo longior quam latior, breviter sub-ovata, in latere interiore levius, in exteriore latere fortiter rotundata, apice sat longo et angustato-acuminato. Bulbus, præsertim postice altus, brevis et sub-ellipticus est, a latere visus modice et æqualiter convexus. *Pedes* graciles, 1^{i} paris reliquis vix robustiores; aculeis gracilibus non ita crebris armati sunt. Patella 3^{ii} paris non vel parum brevior est quam patella 4^{i} paris et eam crassitie pæne æquat; tibia 4^{i} paris tibiâ 3^{ii} paris multo longior et evidenter gracilior est, cylindrata, patellâ 4^{i} paris vix gracilior. Patellæ aculeis carent, ut tibiæ supra; subter tibiæ 1^{i} paris 5 paribus aculeorum appressorum longiorum armatæ sunt, tibiæ 2^{i} paris 4 paribus aculeorum subter et præterea 1. 1. aculeis in utroque latere; metatarsi anteriores modo subter 3 paribus aculeorum longorum appressorum sunt armati. *Abdomen* plus duplo longius quam latius, anguste cylindrato-ovatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fuscus, pube densa appressa cinereo-fusca vestitum et pilis brevibus erectis nigris parce sparsus; postice fascias duas longitudinales latas nigricantes, a vicinitate oculorum posticorum ad marginem posticum ductas et posteriora versus sensim dilatatas ostendit; in clypeo pilis longis cinereo-albicantibus parcius sparsus est. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* pallide picea, tenuiter cinereo-fusco-pubescentia. *Mandibulæ* piceæ, versus apicem paullo clariores. *Palpi* fusco-testacei et cinereo-fusco-pubescentes, partibus tibiali et tarsali vero piceis et nigro-pilosis, apice partis tarsalis pallide flavo et albo-pubescenti. *Pedes* fusco-testacei, nigro-lineati: femora fasciam longitudinalem nigram in utroque latere habent, quæ fasciæ plus minus evidenter in (patellas et) tibias continuatæ sunt (femora anteriora etiam subter vestigia fasciæ nigræ vel maculas nigras ostendunt). Metatarsi 1^{i} paris basi latissime nigricantes sunt, tarsi omnes (1^{i} paris præsertim læte) flavi. Pube tenui minus densa cinerascenti et nigra vestiti sunt pedes, et aculeis nigris vel fuscis armati. *Abdomen* in fundo nigricanti- vel olivaceo-fuscum, maculis parvis nigris supra et in lateribus conspersum et saltem in dorso pube tenui densa subcupreo-fusca vestitum; venter obscure fuscus, cinerascenti-pubescens. *Mamillæ* superiores sub-testaceæ, art. 1° macula magna nigra extus notato; mamillæ inferiores saltem subter obscure fuscæ vel nigricantes sunt.

Lg. corp. $6^{2}/_{3}$; lg. cephaloth. pæne 3, lat. ej. 2, lat. front. parum plus $1^{1}/_{2}$; lg. abd. $3^{1}/_{4}$, lat. ej. paullo plus $1^{1}/_{2}$ millim. Ped. I $10^{1}/_{2}$, II $7^{3}/_{4}$, III $7^{1}/_{3}$, IV 10 millim. longi; pat. + tib. III $2^{1}/_{2}$, pat. + tib. IV $3^{1}/_{6}$, metat. + tars. IV $3^{1}/_{2}$ millim.

Marem singulum ad Padang Sumatræ a D:re Klein captum lustravi.

Gen. **Mantius,**[1] n.

Cephalothorax altus, $^{1}/_{4}$—$^{1}/_{3}$ longior quam latior, ante oculos posticos (brevi spatio) lateribus pæne rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, præterea posteriora versus

[1] Μαντίος, nom. propr. pers. mythol.

sensim angustatus, lateribus sub oculis posticis directis, dorso ipso ad longitudinem modice convexo, declivitate postica sat longa, modice prærupta; clypeo sat humili.

Quadrangulus oculorum brevis, paullo plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupans, saltem dimidio latior quam longior, paullo latior postice quam antice, æque latus postice ac cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici spatio sat magno a lateralibus anticis remoti; linea recta illas supra tangens hos tangit quoque, non secat. Oculi parvi 2^{es} seriei fere in medio inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent; oculi postici paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt.

Sternum oblongum, coxis paullo latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem æquat.

Mandibulæ mediocres, directæ et parallelæ.

Maxillæ ovatæ, parallelæ, labio circa dimidio longiores; labium parum longius quam latius.

Pedes brevissimi, sat robusti, ita (in ♀): IV, III, I, II longitudine se excipientes, aculeis crebris armati, metatarsis posterioribus non tantum apice aculeatis; tibia cum patella 4^i paris paullo longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris et quam metatarsus cum tarso 4^i paris.

Abdomen brevius, sub-ovatum. Mamillæ breves.

Typus: *M. russatus*, N.

Cum formis illis, quas Keyserling gen. *Plexippo* subjecit, typus gen. *Mantii* satis convenire videtur; quum vero a *Plexippo* (C. L. Koch) nob. quadrangulo oculorum latiore postice quam antice differat, nec nobis satis constet, hanc araneam ad aliud nobis cognitum genus posse referri, novum genus ad eam recipiendam creavimus. A gen. *Carrhoto*, Thor.,[1] tamen parum nisi pedibus 4^i paris pedes 3^{ii} paris, et patella cum tibia 4^i paris patellam cum tibia 3^{ii} paris longitudine superantibus differt.

96. ***M. russatus***, N., *cephalothorace in fundo nigricanti, pube appressa cinereo-rubra vel sub-cuprea ad maximam partem tecto, limbo laterali posterius late cinerascenti-pubescenti, declivitate postica secundum medium nigra; abdomine quoque superius dense cinereo-rubro-pubescenti et plus minus nigro-punctato; pedibus sub-fuscis, supra nigro-pilosis et cinereo-rubro-pubescentibus, femoribus versus apicem nigris, basi vero cinereis; tibiis anterioribus subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 2. aculeis, metatarsis anterioribus subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatis. — ♀ ad. Long. 6—7 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* patellam + tibiam + metatarsum 4^i paris longitudine æquat, pæne $^1/_3$ longior quam latior, antice, inter oculos posticos et laterales anticos (sat brevi spatio igitur) lateribus parum rotundatis, pæne rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, præterea, ab oculis posticis, posteriora versus lateribus primum parum, denique fortius rotundatis sensim angustatus, postice fere duplo angustior quam antice ibique in medio emarginatus; frons truncata, parum rotundata, est; altitudo clypei veri vix $^1/_4$ diametri oculi maximi superare videtur. Altus est cephalothorax, lateribus sub oculis

[1] Typus hujus generis est *Plexippus viduus*, C. L. Koch. *Carrhotus* genus est *Hasario* (Sim.) nob. proximum, ab *Hasario* quadrangulo oculorum brevissimo et latissimo, modo circa $^1/_4$ longitudinis cephalothoracis occupanti et circa duplo latiore quam longiore, ut et oculis mediis anticis a lateralibus anticis spatio sat magno disjunctis præcipue differens.

posticis rectis et directis, immo paullulo reclinatis, parte cephalica anterius transversim plana, dorso ipso a latere viso modice et satis æqualiter convexo, ante oculos posticos (qui in medio dorsi ipsius locum tenent) sat fortiter proclivi, pone eos parum declivi et in declivitatem posticam modice præruptam, longam (reliquo sive ipso dorso non ita multo breviorem), leviter concavatam abrupte transeunti. Arcus supra-ciliares obsoleti sunt, impressiones ad oculos $2^{æ}$ seriei nullæ; in medio, paullo pone oculos posticos, impressio non magna conspicitur; sulcus ordinarius centralis obsoletissimus est. Quadrangulus *oculorum* brevissimus, paullo plus $^1/_3$ (non $^2/_5$) longitudinis cephalothoracis occupans; circa diametro oculi singuli postici latior est postice quam antice, plus dimidio latior quam longior, et æque latus postice ac cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, spatio parvo separati, lateralibus anticis saltem duplo majores sunt et ab iis spatiis magnis, dimidiam oculi lateralis diametrum saltem æquantibus, sejuncti; linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos tangit, non secat. Oculi $2^{æ}$ seriei minuti plane in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos locati videntur; oculi postici, lateralibus anticis non minores, paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt.

Mandibulæ directæ, parallelæ, pæne duplo longiores quam latiores, patellas anticas longitudine et latitudine fere æquantes, pæne cylindratæ, apice paullo oblique truncatæ, in dorso modice convexæ, læves et nitidæ; sulcus unguicularis antice dente 1, postice 2 dentibus armatus. *Maxillæ* parallelæ, ovatæ, pæne duplo longiores quam latiores, labio dimidio longiores; *labium* vix longius quam latius, lateribus levissime rotundatis a basi ad apicem (fortiter rotundatum) sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres, dense pilosi, setosi et pubescentes, ut *pedes*, qui brevissimi et modice robusti sunt, anteriores posterioribus parum robustiores. In pedibus 4^{i} paris tibia patellâ paullo longior est, in reliquis pedibus tibia vix vel non longior est quam patella. Tibia cum patella 4^{i} paris evidenter paullo longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris et quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris. Aculeis crebris sed sat debilibus armati sunt pedes: femora e. gr. anteriora 6 aculeis prædita sunt, patellæ omnes aculeo in utroque latere, tibiæ posteriores aculeo etiam supra munitæ; tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 2., metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos habent. Metatarsi posteriores ad apicem, basin et medium sunt aculeati. *Abdomen* inverse ovatum, antice obtusum, postice sub-acuminatum. *Vulva* ex area sat parva transversa cornea fusca constat, quæ utrinque postice impressionem vel foveam obliquam ostendit, his impressionibus conjunctim postice callo vel costa procurva in medio abrupta vel impressa limitatis.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, pilis nigris sparsus et pube densa appressa cinerascenti-rubra, posterius versus margines laterales vero cinerea, totus vestitus, excepto secundum medium in declivitate postica, ubi sat late nigro-pubescens est; facies, cum annulis circum oculos anticos, inferius, pube pallide rubra est vestita, clypeus præterea pilis longis porrectis densis cinerascenti-testaceis secundum marginem munitus. *Sternum* nigrum, cinerascenti-pilosum. *Mandibulæ* ferrugineo-fuscæ, versus basin rufescenti-pilosæ, præterea parcius nigro-pilosæ. *Maxillæ* et *labium* picea, apice pallida. *Palpi* sub-fusci, nigro-pilosi et dense cinerascenti-rubro-pubescentes. *Pedes* quoque sub-fusci, vix vel parum evidenter nigro-annulati, nigro-pilosi et pube densa appressa cinereo-rubra vestiti, excepto quod femora saltem supra versus apicem nigra sunt, basi vero cinerea,

ipso apice cinerascenti-rubro; subter pedes magis cinereo-albicanti-hirsuti et albo-pubescentes sunt. *Abdomen* superius in fundo cinereo-nigricans est et pube densa cinerascenti-rubra (interdum posterius in dorso purius rubra) tectum, pube nigra huic pubi ita intermixta, ut cinereo-rubrum et plus minus nigro-punctatum evadat dorsum, declivitate antica late nigra; latera inferius et venter magis cinerascentia sunt, pube cinerascenti vestita. *Mamillæ* fuligineæ.

Lg. corp. $6^3/_4$; lg. cephaloth. $2^5/_6$, lat. ej. 2, lat. front. $1^3/_4$; lg. abd. $3^3/_4$, lat. ej. $2^1/_2$ millim. Ped. I $4^1/_2$, II $4^1/_3$, III $5^1/_4$, IV $5^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I circa $1^3/_4$, pat. + tib. III $1^2/_3$, pat. + tib. IV $1^3/_4$, metat. + tars. IV $1^1/_2$ millim.

Feminas paucissimas, inter eas duas adultas, vidi, in Pinang a WORKMAN captas. — Ad habitum in universum cum *Hasario virenti*, N., de quo videatur infra, satis convenit hæc species.

Gen. **Carrhotus**, THOR. [1].

97. ***C. viduus*** (C. L. KOCH).

Syn.: 1846. *Plexippus viduus*, C. L. KOCH, Die Arachn., XIII, p. 104, Tab. CCCCXLIX, fig. 1166.
? 1846. » *albo-lineatus*, id., ibid., p. 105, Tab. CCCCXLIX, fig. 1167.

Cel. WORKMAN marem singulum adultum parvum (modo 5 millim. longum) »*Plexippi vidui*» in ins. Pinang invenit. Præter in Pinang, hæc aranea, cujus feminam *P. albolineatum*, C. L. KOCH, credo, in Java et in Bintang capta fuit.

Gen. **Hasarius**, (SIM.), 1870.

98. ***H.*** *(?)* ***Kjellerupii***, N., *cephalothorace brevi, alto et lato, in fundo fusco-testaceo, supra anterius piceo et hic pube alba munito (vestito?), clypeo humili, piceo, albo-pubescenti; partibus oris nigro-piceis; pedibus fusco-testaceis, patellis omnibus aculeatis; abdomine lanceolato, in fundo obscure testaceo-cinerascenti, pube alba vestito; quadrangulo oculorum æque lato antice et postice, oculis seriei 2ae vix longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remotis; palpis gracilibus, longis, pallide fuscis, basi pallidioribus, clava parva; mandibulis sat magnis, dimidium cephalothoracem longitudine paullo superantibus, paullo divaricantibus, dorso ipsa basi geniculato, præterea recto, latere interiore versus basin subter in carinam sive laminam longitudinalem paullo dilatato, dein, apice, late rotundato-emarginato, sulco unguiculari antice dentibus tribus mediocribus (2 ad angulum interiorem, 1 ad basin unguis), postice vero dente singulo, versus basin unguis sito, armato. — ♂ ad. Long. circa $11^3/_4$ millim.*

MAS. — *Cephalothorax* $^1/_4$ longior quam latior, tibiam cum dimidia patella 1^i paris longitudine æquans et paullo brevior quam patella + tibia + dimidium metatarsi 4^i paris, lateribus in medio leviter, præterea fortiter rotundatis brevi spatio anteriora versus citius, posteriora versus vero longius et fortiter sensim angustatus, postice breviter truncatus et

[1] De hoc genere vid. sup., p. 140.

paullo retusus; frons, cujus anguli ab oculis lateralibus anticis paullo foras directis occupantur, modo paullo angustior est quam pars thoracica, pone oculos medios truncata, angulis late et paullo oblique truncatis. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum fortes sunt; utrinque inter eos et oculos seriei 2^{æ} impressio fortis transversa conspicitur, et ante hos oculos, intus, elevatio ampla humillima; inter oculos posticos, posterius, impressionem amplam transversam recurvam ostendit cephalothorax, in qua sulcus ordinarius centralis brevis sed distinctissimus locum tenet. Altissimus est cephalothorax, lateribus anterius pæne directis; dorsum ejus a latere visum ante oculos posticos fortiter proclive et parum convexum est, pone eos, et usque ab iis, spatio paullo breviore parum convexum et etiam paullo fortius declive, et in declivitatem posticam etiam longiorem, magis præruptam et parum convexam quasi sine limite transiens. Clypei altitudo non $^1/_4$ diametri oculi maximi æquat. *Oculi*, seriei 2^{æ} exceptis, maximi sunt, præsertim medii antici, qui pæne contingentes sunt inter se et cum lateralibus anticis (quibus saltem duplo sunt majores) sub-contingentes, si a fronte inspiciuntur, præterea ante eos satis prominentes et altitudine annuli basalis sui ab iis separati. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales non parum sub margine superiore secat, si plane a fronte inspiciuntur hi oculi. Quadrangulus oculorum circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat et saltem $^1/_4$ latior est quam longior, ut mihi videtur plane æque latus antice et postice, et saltem diametro oculi singuli postici angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2^{æ} seriei minuti paullulo longius quidem ab ipsa cornea oculorum lateralium anticorum quam ab oculis posticis distant, sed paullulo longius ab his quam ab annulo illorum basali. Oculi postici, lateralibus anticis vix minores, evidentissime longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* anguste et inverse sub-ovatum, coxis anterioribus parum latius; spatium inter coxas 1^i paris labii latitudinem æquat.

Mandibulæ deorsum et paullo anteriora versus directæ, paullo divaricantes; sat longæ et fortes sunt, patellam 1^i paris longitudine fere æquantes, et femore hujus paris in medio paullo latiores, circa duplo longiores quam latiores, in dorso anguste ovatæ fere: in latere exteriore ad longitudinem sat leviter et æqualiter convexo-arcuatæ sunt, intus vero, magis subter, inter basin et medium paullo dilatatæ, latere interiore hic recto, præterea, inter medium et apicem, late exciso-emarginato. In dorso ad ipsam basin geniculatæ sunt, præterea rectæ, nitidæ, transversim striatæ, parum pilosæ. Margo anticus sive superior sulci unguicularis dentes duos mediocres ad basin suam (intus) ostendit, et dentem tertium ejusmodi ad ipsam basin unguis; margo inferior sulci dentem paullo longiorem magis versus basin unguis habet. *Maxillæ* in latere exteriore paullo foras curvatæ, plus duplo longiores quam latiores, labio pæne duplo longiores; *labium* pæne dimidio longius quam latius. *Palpi* graciles, sat longi, clava parva, ipsa basi metatarsorum 1^i paris non multo latiore; in parte femorali supra 1. 1. aculeos habent, præterea aculeis carent. Pars femoralis deorsum curvata est, pars patellaris paullo plus duplo longior quam latior; pars tibialis eâ paullo longior et paullulo angustior est, pæne triplo longior quam latior, cylindrata sed prope apicem lateris exterioris in dentem fortem acuminatum, foras et paullulo anteriora versus directum, apice deorsum curvatum dilatata. Pars tarsalis parte tibiali paullulo longior et latior est, anguste ovata, circa duplo longior quam latior. Bulbus parvus, humillimus, breviter ovatus; e latere ejus interiore, magis versus basin, exit spina

gracilis anteriora versus curvata et directa et apice longe ante bulbum pertinens. *Pedes*, præsertim 1^{i} paris, sat longi, anteriores posterioribus robustiores; pedes 3^{ii} paris paullo longiores et paullo robustiores sunt quam pedes 4^{i} paris. Tibia cum patella 4^{i} paris paullo brevior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris, sed paullulo longior quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris; tibia tamen 4^{i} paris saltem æque longa est ac tibia 3^{ii} paris. Aculeis crebris mediocribus armati sunt pedes: patellæ utrinque aculeo munitæ sunt; tibiæ 1^{i} paris 4 paria aculeorum subter habent et præterea 1 vel 1. 1. aculeos antice et postice; tibiæ posteriores pleræque etiam supra aculeo parvo munitæ sunt. Metatarsi anteriores aculeos 2. 2. subter sitos habent; metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati sunt. *Abdomen* longum et angustum, sub-lanceolatum. *Mamillæ* longiores, superiorum art. 1^{s} pæne triplo longior quam latior, art. 2^{s} conicus, non longior quam latior basi.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fusco-testaceus, parte dimidia antica supra et usque paullo sub oculis utriusque lateris picea, apud oculos posticos, et ante oculos laterales anticos, intus, magis nigra; hæc pars saltem ad partem pube sat crassa alba vestita est, cujus in nostro exemplo detrito remanent quasi fascia sub (et inter) oculos utriusque lateris, linea recurva paullo pone oculos posticos (quæ extremitatibus suis procurvis hos oculos postice cingit) et vestigia utrinque paullo pone oculos 2^{æ} seriei, ut et in medio, ad frontem; margo frontalis inter oculos medios anticos et inter hos oculos et laterales anticos vestigia pubescentiæ luteæ ostendit: præterea annuli circum oculos anticos albi sunt; clypeus piceus, pube crassa alba conspersus. Posterius in lateribus modo parce pallido-pubescens fuisse videtur cephalothorax. *Sternum* fusco-testaceum; *mandibulæ*, *maxillæ* et *labium* nigro-picea, maxillæ apice pallidæ. *Palpi* pallide fusci, basi testacei, pube alba minus densa vestiti. *Pedes* fusco-testacei, paullo albo-pubescentes, aculeis piceis. *Abdomen* in fundo obscure testaceo-cinerascens, pube sericea densa albicanti vestitum, et fascia longitudinali e pube sub-lutea formata in lateribus infra notatum (?). *Mamillæ* sub-fusco-testaceæ.

Lg. corp. $11^{3}/_{4}$; lg. cephaloth. 5, lat. ej. 4, lat. front. $3^{1}/_{2}$; lg. abd. $6^{3}/_{4}$, lat. ej. saltem $2^{2}/_{3}$ millim. Ped. I $15^{1}/_{2}$ (fem. 4, pat. pæne 3, tib. 4, metat. pæne 3, tars. paullo plus $1^{1}/_{2}$), II $11^{1}/_{2}$, III $12^{2}/_{3}$, IV 12 millim. longi; pat. + tib. III $4^{1}/_{6}$, pat. + tib. IV parum plus 4, metat. + tars. IV 4 millim. Mandib. 3 millim. longæ.

Mas, quem hujus speciei singulum vidi, in ins. Nicobare Minore captus est (G.). — Nescio cui generi recte adscribi debeat hæc aranea: formis generis *Bathippi*, THOR.[1], quam

[1] Sub hoc nomine species illas generis »*Plexippi*» a me in Stud. sui Ragni Malesi e Papuani, III, pp. 526—582 (n:is 265—282) descriptas comprehendo: hæ species a reliquis »*Plexippis*» ibi a me adumbratis (*Hasario*, cet.) oculis 2^{æ} seriei longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remotis, metatarso cum tarso 4^{i} paris (pæne semper) tibiam cum patella ejusdem paris longitudine superanti, abdomine longo, pedibus gracilioribus et mandibularum formâ insolita differunt. Gen. *Bathippus*, THOR., idem ac *Cocalus*, SIM., — non C. L. KOCH — esse videtur.

(Quum C. L. KOCH de mamillis *Cocali concoloris* sui dicit: »die zwei obern und die zwei untern nur halb so lang als die mittlern» (Die Arachn., XIII, p. 180; Uebers. d. Arachn.-syst., 5, p. 49) hoc nimirum erroneum est. — Nota generis *Cocali* præsertim obvia est magnitudo insolita oculorum 2^{æ} seriei, qui oculis posticis ut maximum duplo-triplo sunt minores: vid. figuram *C. concoloris* in Die Arachn., XIII, Tab. CCCCLXI, fig. 1230; conf. quoque Uebers. d. Arachn.-syst, 5, p. 48, ubi oculi 2^{æ} seriei oculis lateralibus anticis et oculis posticis »nur wenig kleiner» dicuntur! — Figura illa demonstrat quoque, tibiam cum patella 4^{i} paris tibiâ cum patella 3^{ii} paris in *Cocalo concolore* esse longiorem. — Oculis magnis 2^{æ} seriei præsertim facile ab e. gr. formis gen. *Bathippi* nostri dignosci potest gen. *Cocalus*, quod generi *Lino*, PECKH., valde affine est: confer descriptionem cephalothoracis *Cocali* in C. L. KOCH, Uebers. d. Arachn.-syst., 5, p. 49).

maxime similis est, sed oculos 2ae seriei longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis sitos habere vix dici potest. Ad tempus gen. *Hasario* eam subjungo.

99. ***H. sulfuratus***, n., *cephalothorace brevi, alto, in fundo rufescenti-fusco, supra anterius vero nigro, fascia media longitudinali latissima e pube pulchre flava formata signato; abdomine cinerascenti-fusco, eo quoque fascia media longitudinali pulchre flava ornato; pedibus testaceo-fuscis (1i paris sub-piceis), saltem sex anterioribus in utroque latere ad longitudinem nigro-fasciatis; mandibulis brevibus, robustis, nigro-æneis, apice ferrugineis, palpis ferrugineo-fuscis. — ♂ ad. Long. circa 8 millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, patellam + tibiam 1i paris, et patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4i paris longitudine circiter æquans, ad formam ut in specie priore, *H.* (?) *Kjellerupii*, modo paullo minus alto, dorso ipso a latere viso magis æqualiter convexo et multo minus fortiter ante et pone oculos posticos (qui paullulo ante medium ejus locum tenent) proclivi et declivi, et in declivitatem posticam sine ullo limite transeunti: dorsum igitur ab oculis posticis pæne ad marginem posticum æqualiter et sat fortiter convexum est. Frons leviter rotundata paullo angustior quam in priore est, parte thoracica pæne $^1/_5$ angustior; latera cephalothoracis superius satis declivia et convexa sunt, inferius directa et recta. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum et elevationes impressionesque illæ ante eos ut in *H.* (?) *Kjellerupii* sunt, sed paullo minus fortes. Clypei altitudo non $^1/_4$ diametri oculi maximi æquare videtur. *Oculi* magni, seriei 2ae exceptis; medii antici, non ita multo prominentes, lateralibus anticis saltem duplo majores sunt, et spatio minuto inter se et ab his oculis (a fronte visi) sejuncti; desuper visi spatio majore a lateralibus anticis remoti videntur. Series oculorum antica fortius sursum curvata est: linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos fere in medio secat. Quadrangulus oculorum fere $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat et circa $^1/_4$ latior est quam longior; paullulo latior est antice quam postice, et circa tripla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2ae seriei paullo longius a cornea oculorum lateralium anticorum quam ab oculis posticis distant, sed paullulo longius ab his oculis quam ab annulo basali illorum. Oculi postici, lateralibus anticis paullo minores, multo longius a margine cephalothoracis quam inter se distant. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis non parum latius; spatium inter coxas anticas labii latitudinem superat.

Mandibulæ robustæ et breves, deorsum et parum anteriora versus directæ, paullo divaricantes; patellas anticas longitudine æquant, femoribus anticis multo latiores et circa dimidio longiores quam latiores; breviter sub-ovatæ sunt, in latere exteriore ad longitudinem geniculato-rotundatæ, in latere interiore rectæ, apice valde late, profunde et parum oblique rotundato-emarginatæ, in dorso ad longitudinem versus basin sat fortiter convexæ sed transversim deplanatæ et pæne læves, versus apicem vero transversim modice convexæ et sat crasse transversim rugosæ. Margo anticus sulci unguicularis lati in angulo interiore dente forti et apud eum intus vel supra alio dente parvo gracili armatus est, margo posticus in angulo interiore dente forti singulo. Unguis longus et fortis. *Maxillæ* latæ, modo paullo longiores quam latiores, labio plus dimidio, pæne duplo, longiores, a basi angustata apicem versus sensim dilatatæ, latere exteriore leviter foras curvato, apice late et oblique truncato, angulo interiore sat late et oblique rotundato-truncato, angulo

vero exteriore in dentem fortem porrectum exeunti. *Labium* circa dimidio longius quam latius, apicem rotundatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres, clava sat parva, tibiis anticis evidenter angustiore, basin metatarsorum anticorum tamen latitudine superanti. Pars patellaris saltem dimidio longior quam latior est, pars tibialis eâ non parum longior, pæne duplo et dimidio longior quam latior, cylindrata, in apice lateris exterioris spina sat gracili, pæne recta, modo levissime deorsum curvata, foras et anteriora versus directa armata, quæ diametrum partis tibialis longitudine æquat. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis evidenter brevior est, parte tibiali circa dimidio latior, circa duplo et dimidio longior quam latior, anguste sub-ovata, apice valde obtuso; bulbus sat magnus, angulo basis exteriore rotundato longe retro, sub spina partis tarsalis, producto; apice ita impressus est bulbus, ut hic quasi circulus formetur, ex quo (in apice bulbi) stilus sat brevis fortis obtusus procurrit. *Pedes* mediocres, anteriores posterioribus paullo robustiores, 4^{i} paris reliquis graciliores. Tibia cum patella 3^{ii} paris non parum longior est quam tibia cum patella 4^{i} paris, quæ paullulo brevior est quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris; tibia 3^{ii} paris modo paullulo longior est quam tibia 4^{i} paris. Aculeis crebris longis armati sunt pedes, non multo dense pilosi et pubescentes. Patellæ omnes aculeum minorem utrinque habent; tibiæ posteriores etiam supra aculeo munitæ sunt. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. (tibiæ 1^{i} paris antice 1. 1. 1.) aculeos habent, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. Metatarsi posteriores basi et apice (4^{i} paris etiam in medio) aculeati. *Abdomen* plus duplo longius quam latius, ovato-lanceolatum. *Mamillæ* sat longæ, superiores graciles, art. 1° cylindrato, triplo longiore quam latiore, art. 2° non longiore quam latiore; mamillæ inferiores superioribus multo crassiores sed vix longiores, art. 2° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo rufescenti-fuscus sive badius, lateribus anterius cum genis et clypeo magis nigro-piceis, tota area oculorum nigra, limbo laterali quoque minus late nigro; pilis nigris sparsus est et fascia media longitudinali latissima (in parte thoracica posteriora versus sensim angustata) e pube densa pulchre flava formata ornatus, quæ saltem usque ad medium areæ inter-ocularis pertinet; etiam sub oculis lateralibus anticis et oculis posticis vestigia pubescentiæ flavæ video (pars anterior areæ oculorum in nostro exemplo detrita est). Annuli circum oculos anticos supra nigro-ænei sunt, præterea albi; clypeus vitta transversa marginali alba usque in genas retro producta et e pilis densis albis formata est notatus. *Sternum* fusco-testaceum. *Mandibulæ* obscure æneæ, apice ferrugineæ, intus præsertim versus apicem pilis tenuioribus albis sat densis vestitæ. *Maxillæ* et *labium* picea, illæ apice pallidæ. *Palpi* ferrugineo-fusci, nigro- et sub-fuligineo-pilosi. *Pedes* testaceo-fusci (1^{i} paris piceo-fusci), ad longitudinem nigro-fasciati, basi præsertim subter late clariores, et apice paullo pallidiores quoque; pedes 1^{i} paris femora, patellas et tibias intus ad maximam partem nigra habent, et femora extus quoque versus apicem nigra; in pedibus 2^{i} et 3^{ii} parium femora et patellæ extus et intus fascia nigra lata plus minus longa occupata sunt; femora 4^{i} paris fascia ejusmodi breviore versus apicem lateris exterioris (anterioris) notantur. Pilis nigris et pube tenui alba minus dense vestiti sunt pedes et aculeis nigris armati; metatarsi anteriores ad basin utrinque albo-pilosi sunt. *Abdomen*, pilis nigris sparsum, obscure cinereo- vel sub-rufescenti-fuscum est, fascia media longitudinali æquali sat lata flava a basi ad anum pertinenti, posteriora

versus sensim paullo angustata, et lineis duabus parallelis nigris inclusa ornatum; postice in lateribus abdominis, quæ inferius pube tenui alba vestita sunt, vestigia linearum binarum obliquarum albarum vel flaventium video. Venter late obscure cinereo-fuscus. *Mamillæ* sordide testaceo-fuscæ.

Lg. corp. pæne 8; lg. cephaloth. $3^3/_4$, lat. ej. 3, lat. front. paullo plus $2^1/_2$; lg. abd. $4^1/_4$, lat. ej. $2^1/_6$ millim. Ped. I $9^2/_3$ (fem. $2^5/_6$, pat. $1^1/_2$, tib. pæne $2^1/_2$, metat. parum plus $1^1/_2$, tars. pæne 1), II 8, III $9^1/_3$, IV $8^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. III $3^1/_2$, pat. + tib. IV $2^4/_5$, metat. + tars. IV 3 millim.

In Sumatra, ad Kaju tanam, mas singulus hujus speciei a D:re P. A. Klein captus est.

100. ***H. Adansonii*** (Aud. *in* Sav.).

Syn.: 1827. *Attus Adansoni*, Aud., *in* Sav., Descr. de l'Égypte, 2e Éd., XXII, p. 169, Pl. VII, fig. 8.

Marem adultum ad Tjadé (in Atjeh) Sumatræ cepit D:r Klein. — *H. Adansonii* species est per magnam partem Asiæ, Africæ et Europæ diffusa.

101. ***H. virens,*** n., *cephalothorace in fundo nigro, pæne toto pube appressa virescenti-flava (interdum magis rufescenti) tecto, ad margines laterales, posterius, late cinerascenti-pubescenti, sub oculis lateralibus paullo rubro-pubescenti, clypeo in lateribus rubro quoque; abdomine supra et in lateribus pube densa virescenti-flava vel virescenti vestito et sæpe punctis nigris sparso, interdum utrinque postice fasciis paucis obliquis nigris notato; ventre aut nigro, et tum plerumque ad longitudinem pallido-fasciato, aut pallido, nigro-fasciato; pedibus testaceo-fuscis, apice pallidioribus, paullo nigro-annulatis, femoribus supra ad maximam partem nigris; patella cum tibia 4i paris sæpissime tibiam cum patella 3ii paris longitudine paullo superanti, tibiis anterioribus subter 2. 2. 2., antice 1. 2., postice 2. aculeis, metatarsis anticis subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatis. — ♀ ad. Long. circa 5 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* patellam + tibiam + metatarsum 4i paris longitudine æquat, pæne duplo longior quam latior, secundum maximam longitudinis partem lateribus levissime rotundatis et pæne parallelis ante et pone oculos posticos modo levissime anteriora et posteriora versus sensim angustatus, modo in parte longitudinis postica circiter quinta vel quarta lateribus fortius rotundatis posteriora versus cito et fortius angustatus, postice in medio emarginatus et hic multo (non duplo tamen) angustior quam antice; frons leviter rotundata parte thoracica parum angustior est, clypeus verus humillimus, $^1/_4$ diametri oculi maximi altitudine non æquans, cum membrana sua vero non parum altior. Modice altus est cephalothorax, lateribus sub oculis posticis rectis et directis, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos (qui in medio longitudinis dorsi ipsius locum tenent) præsertim antice sat proclivi et convexo, pone eos parum declivi parumque convexo et in declivitatem posticam longam (circa $^3/_4$ ipsius dorsi longitudine æquantem), levissime concavatam et satis præruptam cito transeunti. Arcubus supra-ciliaribus et impressionibus utrinque caret cephalothorax; etiam impressio media et sulcus ordinarius centralis obsoletissima sunt. Quadrangulus *oculorum* parum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat: modo paullulo, vix oculi singuli postici diametro, latior est postice quam antice, pæne dimidio latior quam longior, et modo paullulo (vix oculi singuli postici diametro) angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, sub-contingentes

inter se, lateralibus anticis paullo plus duplo sunt majores et ab iis spatio dimidiam eorum diametrum pæne æquanti separati; linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos parum sub margine superiore secat. Oculi 2^{æ} seriei minuti paullulo (parum) longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti videntur; oculi postici, lateralibus anticis parum minores, paullulo longius inter se quam a margine cephalothoracis distare visi sunt. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis multo latius; spatium inter coxas 1^{i} paris labii latitudinem saltem æquat.

Mandibulæ deorsum directæ, parallelæ, cylindratæ, pæne duplo longiores quam latiores, patellas anticas longitudine æquantes iisque paullo latiores, in dorso versus basin paullo convexæ, dorso præterea recto, subtilissime transversim striato, nitido, parce piloso; sulcus unguicularis postice dente singulo, antice intus 2 dentibus est armatus. *Maxillæ* parallelæ, ovatæ, fere duplo longiores quam latiores, labio saltem dimidio longiores; *labium* paullo longius quam latius, apicem late rotundatum versus vix angustatum. *Palpi* mediocres, forma ordinaria; pars tarsalis parte tibiali paullulo angustior est, pæne cylindrata, apice obtusissimo. *Pedes* breves, crassitie mediocri, anteriores posterioribus parum robustiores. In pedibus anterioribus, saltem 1^{i} paris, tibia patellà paullulo longior est, in pedibus 3^{ii} paris eà vix longior; in pedibus 4^{i} paris tibia patellà non parum est longior. Tibia cum patella 4^{i} paris plerumque (non semper!) paullulo longior est quam tibia cum patella 3^{ii} paris; paullulo longior quoque est quam metatarsus cum tarso 4^{i} paris. Aculeis crebris mediocribus armati sunt pedes; in femoribus anterioribus 7 aculeos video; patellæ omnes utrinque aculeo munitæ sunt, tibiæ posteriores etiam supra aculeo præditæ. Tibiæ anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 2., postice (fere in medio) 2. aculeis armatæ sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis. Metatarsi posteriores apice et ad basin (4^{i} paris etiam in medio) aculeati sunt. *Abdomen* ovatum vel inverse ovatum, apice sub-acuminatum. *Vulva* ex area sat parva pallide fusca constat, quæ impressionibus vel sulcis duobus longitudinalibus fortibus in tres partes vel callos divisa est: pars media oblonga est et duabus lateralibus rotundatis longior. *Mamillæ* sat breves.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, pube appressa sat tenui virescenti- vel olivaceo-flava (interdum saltem ad partem magis rufescenti) tectus, limbo laterali partis thoracicæ posterius late cinereo-pubescenti, clypeo in medio dense flaventi-piloso et -pubescenti, annulis circum oculos anticos ejusdem coloris: clypeus versus latera vero rubro-pubescens est; etiam in lateribus sub oculis lateralibus paullo rubro-pubescens est cephalothorax. *Sternum* nigrum, flaventi- vel cinerascenti-pilosum. *Mandibulæ* fuscæ, pilis pallidis sparsæ; *maxillæ* et *labium* picea. *Palpi* flavo-testacei, basi nigri, summo apice nigricantes; pilis sat longis et sat densis flavis vestiti sunt. *Pedes* testaceo-fusci, nigro-annulati, metatarsis tarsisque pallidioribus: femora supra ad magnam partem nigra vel nigro-variata sunt, summo apice tamen et (interdum) annulo prope basin sito pallidis; tibiæ plerumque annulum latum versus basin ostendunt, et metatarsi basi et apice anguste nigri vel fusci sunt. Superius flaventi- vel albicanti-pubescentes sunt pedes, paullo nigro-pilosi, subter magis albicanti-pilosi. *Abdomen* in fundo nigricans vel cinerascens est, sed pube densa appressa tenui virescenti vel virescenti-flava tectum, declivitate antica late nigra; in dorso et in lateribus sæpe sat dense nigro-punctatum est, punctis nigris tum interdum utrinque, in parte postica laterum dorsi, in series paucas obliquas ordinatis vel

in fascias obliquas nigras confusis. Venter pone rimam genitalem aut late niger est et hic plerumque cinerascenti- vel virescenti-lineatus, aut virescens, lineis longitudinalibus nigris 3 vel 5 notatus. *Mamillæ* sordide fuscæ.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. pæne $2^1/_2$, lat. ej. circa $1^3/_4$, lat. front. paullo plus $1^1/_2$; lg. abd. $2^3/_4$, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I $4^1/_3$, II $4^1/_4$, III $4^1/_2$, IV 5 millim. longi; pat. + tib. I $1^1/_2$, pat. + tib. III pæne $1^1/_2$, pat. + tib. IV $1^1/_2$, metat. + tars. IV pæne $1^1/_2$ millim.

Cel. Workman exempla pauca feminea adulta et juniora in ins. Pinang collegit. Generis *Plexippi* Keyserlingii (non *Plexippi* nostri) videtur hæc aranea, quam, quum non semper tibiam cum patella 4^i paris longiorem quam, sed nonnumquam modo æque longam ac tibiam cum patella 3^{ii} paris habeat, ad gen. *Hasarium* retuli. (Etiam in *H. Adansonii*, typo generis, tibia cum patella 4^i paris tibiam cum patella 3^{ii} paris interdum longitudine paullo superat).

102. ***H. Simonis,*** Thor., *cephalothorace in fundo nigricanti vel sub-fusco, area oculorum nigra, et vitta lata procurva sub-ferruginea pone oculos posticos notato, in ♀ albo-pubescenti, in ♂ fascia marginali alba utrinque posterius et vitta procurva alba totum dorsum supra cingenti, e pube formatis, ornato; pedibus fusco-testaceis, plerumque nigro-annulatis -maculatisve, anterioribus in ♂ sat robustis, ad maximam partem piceis, et subter pilis longis densis nigris vestitis; abdomine angustius ovato, dorso in fundo anterius pallido, nigricanti-variato et linea media nigricanti vel linea geminata alba plerumque notato, postice vero nigro et fascia albicanti a medio ad anum ducta ornato; vulva ex area picea constanti, quæ foveas duas magnas rotundas, spatio minore separatas ostendit. — ♂♀ ad. Long. ♂ circa $6^3/_4$, ♀ circa $7^1/_2$ millim.*

Hujus speciei, cujus exempla in Sumatra et in Singapore inventa quoque vidi, mas adultus, feminæ duæ adultæ et femina junior in Nicobarium insulis (Kamorta, Kar Nicobare, Sambelong) capti sunt (G.).

Addenda et corrigenda.

Pag. 4, lin. 7. Quæ species a Böck »*Singa conica* Koch» vocatur, nescio an *Epeira anseripes*, Walck., sit — aranea per fere totam Asiam meridionalem vulgaris. Sed *E. anseripes*, Walck. (1841) eadem est species atque *E. tuberculata*, Luc. (1842), cujus exempla ex Hispania et Italia meridionali (ins. *Capri*) possideo. Hæc rursus certe non ab *E. insulana*, O. G. Costa (Cenni Zoologici, *cet.*, p. 65. Napoli 1834), ex insulis *Ischia* et *Procida*, differt; quæ species igitur quum in Europa meridionali et in Africa, tum in Asia et Australia vitam degit.

» 4, » 15. Hoc loco observandum est, Cel. Keyserling, in L. Koch, Die Arachn. Austral., II [fasc. 37], 265, Tab. XXIV, fig. 7—7[b], araneam ex Pulu Mulu [Pulo Milu?] ins. Nicobarium sub nomine *Menemeri albocincti* nuper cognitam fecisse.

	4,	»	32	pro *Tetragnatha minatoria*, Sim., legendum est:		*Tetragnatha mandibulata*, Walck.
»	8,	»	7	» a.	» »	a
»	9,	»	37	» quam	» »	quem
»	16,	»	42	» pellido-	» »	pallido-
»	17,	»	28	» *ve*	» »	*vel*
»	51,	»	35	» postic eleviter	» »	postice leviter
»	54,	»	22	» pars reliqua cephalothoracica	» »	reliqua pars cephalica
»	112,	»	29	» (= *Thiania*	» »	(et a *Thiania*

» 124, » 13. Adde: Si, ut facile erediderim, *Plexippus vittatus*, C. L. Koch, eadem est species atque *Hyllus alternans*, id., *Mævia vittata* (C. L. Koch) appellari debet hæc species, quum nomen *vittatus* »prioritatem» habeat.